De eloquentia latina

saec. XVII et XVIII

dialogus

auctore
Helgo Nikitinski



Neapoli
in aedibus Vivarii
MM

ISTITUTO ITALIANO PER GLI STUDI FILOSOFICI

L'UMANESIMO EUROPEO

Series Latina

1

nos sumus tempora

Oleg Nikitinski

La prosa d'arte latina

dei secoli XVII e XVIII

Napoli
VIVARIUM
MM

De eloquentia latina

saec. XVII et XVIII

dialogus

auctore
Helgo Nikitinski

Neapoli
in aedibus Vivarii
MM

Vivarium
Piazza Santa Maria degli Angeli, 1
80132 Napoli
Italia

ISBN 88-85239-45-5

AD LECTOREM

In aliquot operis huius partibus recognoscendis emendandisque consilium atque operam summorum virorum Iosephi Delz Basileensis, Volfgangi Ehlers Berolinensis, Valtharii Ludwig Hamburgensis, Aloisii Miraglia Neapolitani, Valahfridi Stroh et Ioannis Wieland Monacensium gratissimo animo agnosco. Michael Angelus Costagliola Prochytanus opus transcribendum curavit typisque elegantibus exornavit. Thomas Borri Parmensis plagulis corrigendis strenue operam dedit.

Gerardo Marotta paradisum Neapolitanum, Ioanni Christes Berolinensis professoris commoda debeo. Michaeli de Albrecht, viro ut de ceteris eius laudibus taceam ad huius modi facinora adornanda nato, quantum debeam, satis explicare despero.

quam vellem Iacobi Borovskij Petropolitani et Viti Giustiniani Lucensis consiliis uti. sed mors inimica obstat.

ceterum sciant legentes, me in auctorum verbis sicubi opus erat larga manu proferendis, non id egisse, ut iudicium meum utique probarem – etenim improba esset electio, si prout laudarem aut reprehenderem, naevos tantum aut flores eloquentiae apud quemque exquirerem – sed ut formam et quasi naturalem cuiusque scriptoris notam offerrem. rationem scripturae pro editionum varietate intactam fere servavi. distinxi tamen ubique *u* et *v*. leviores errores tacite tolluntur, ceteri annotantur.

iam iam dimitto te, lector benevole. tu si omnia haec leges, dimidio plus mihi auctor eris. me ama.

"Nec ita admirabatur veteres, ut contemneret recentiores."
Ioannes Augustus Ernesti,
Narratio de Jo. Matthia Gesnero ad Davidem Ruhnkenium

SERGIUS SIVE DE ELOQUENTIA GRAMMATICORUM LIBRI DUO

LIBER PRIOR

Frequens est nobis, Alexi, in colloquiis familiaribus, cum finitis cottidianis laboribus, in aedibus academiae potioni Sericae indulgemus, disputatio de corrupto huius saeculi philologiae statu, quae ars nobilissima sive vitae honestissimum decus, cum prioribus saeculis gravissimos omnique doctrina excultos viros tulerit, hac potissimum aetate mire quam ab antiqua illa disciplina degenerat ita, ut quid sibi omnino philologiae nomen velit turpiter ignoretur et res olim ad dignitatem rectique iudicii cultum atque eloquentiam amplissima in despectu omnium iaceat; tum et illud mirari subit, in magnum crevisse numerum eorum, qui cum se in perfecte doctis numerent et afflictarum litterarum causam agere videantur, antiquitus tradita spernunt, nova, ingeniosa arte arcessita, tamquam veram atque solidam eruditionem vendere solent, scilicet ut qui omnia in novis praeposterae artis constructionibus ponant; at profecto sine eloquentia aliquid velle construere idem est atque domum ex vili atque abiecta materia aedificare. ita fit: semper nova sibi habitacula moliuntur quia parietes paucos post annos dehiscunt. sed video, me iam sensim in sententiam Sergii Sobolevskii[1] delabi, qui haec talia in (sit venia verbo) linguistas et eiusdem farinae mortales iaculari solebat, cum

[1] Sergej Sobolewskij 25.8.1864 - 6.9.1963. dignus est vir, cuius nomen in tabulam eruditorum demigret, qui ad extremam senectutem vixerunt. cfr. Christianus Godofredus Hoffmannus, *Dissertatio historicophilosophica de senio eruditorum*, Lipsiae 1711; Henricus Meibomius, *Epistola de longaevis* <···>, Helmstadii 1664.

meum iudicium integrum adhuc servare velim. iuvat tamen tanti viri memoriam recolere gratoque animo merita erga litteras agnoscere; cui cum magnum vitae spatium iniquo fato sub improba tyrannide decurrere daretur, nusquam a recta virtutis via deflexit peraeque homines earum partium constanter contemnens qui, simulata humanitate omnia in commune deferebant[2], atque de trivio magistellos qui turpi vocabulo "intelligentsia" appellantur. inde ei graves inimicitiae, inde usque ad hunc diem in mortuum etiam odium eorum qui cum nihil aliud quam callidam quandam barbariem propagent, omni sibi liberali doctrina politissimi videntur. non est meum eruditionem viri laudare, quae tanta fuit ut vix mente concipi possit. vel illud dicere sufficiat, Sobolevskium plus quam octoginta annis (nam contigit *cruda* ei *viridisque senectus* et usus est usque fere ad centesimum aetatis annum prospera valetudine) nihil aliud subsicivis horis agere solitum quam ut auctores antiquos atque recentiores legeret excerperetque, quod et facile ei erat, qui, lauta re familiari, domi quadraginta amplius milia voluminum possidebat.

academiae[3] Mosquensis initia obscura atque turbida, omnia in summum discrimen adducta, donec per breve tempus lucescere inciperet, cuius temporis superstes Sergius Sobolevskius patrum memoria in academia nostra sexaginta per annos (incredibile auditu) litteras graecas atque latinas profitebatur. illius temporis vestigia relegere atque religiose in lucem proferre semper tibi antiquissima cura fuit. itaque non ingratum facturus videor si, Huetii[4] exemplum secutus qui Casaubonum[5] de claris interpretibus disserentem inducit[6], Sergium in hanc dialogi scaenam producam – etenim a Sergii aspectu

[2] *coenonistas* innuo, cfr. "ita bonorum aequandorum fautores appellandos duco, quorum singuli volgo *bol'ševik* vel *kommunist* <···> dicuntur; cfr. Graecum (recentissimae aetatis) κοινωνιστής, m." Alexius Scatebranus Rutenus (qui et Solopov), *Vox Latina*, t. 34 (1998) fasc. 131, p. 34.

[3] quae vulgo universitas appellatur.

[4] de eo v. infra p. 97 sqq.

[5] Isaac Casaubonus 1550 - 1614.

[6] Petri Danielis Huetii *De Interpretatione libri duo*, Parisiis 1661.

tanto iniqui temporis spatio intercludor, quantum Huetius a Casaubono distabat. equidem temperare mihi non possum, quin fato quodam oblatos mihi Mosquae libros Ruhnkenii[7] aliorumque recentiorum credam, quos Sobolevskius olim possidebat; qui libri post triginta annos me primum lectorem nancti sunt. loquitur autem ille cum amico suo Michaele Pokrovskio[8], viro privae cuiusdam comitatis et infinitae doctrinae, sicut a Clara Polonskaia femina veri tenacissima accepi atque de scriptis viri iudicare licet. illi tamen si quid a moribus suis aliena loquantur, non mireris, cum res apud inferos acta sit, ubi animae multum a priore habitu mutant, aliquid retinent. nam quod severiora de quibusdam recentiorum iudicia Sergii protuli, neminem serio crimini mihi versurum, securus confido, qui multa de acerba senis diligentia audiverim: erat enim ille perfectus in utraque lingua grammaticus, quo genere hominum nihil potest esse in iudicando difficilius. quod autem ad me pertinet, doleo Sergium nostrum cum Melancthone[9], ignei ingenii viro minimeque spernendo, praesertim si cum huius temporis oratoribus comparetur, tam graves inimicitias exercuisse.

atque tu vero minime ignoras, quam sit semperque mihi fuerit tota haec de statu philologiae quaestio longe a sermonibus eorum seiuncta, qui tristes semper patrui, in causas inquirere solent, cur mores in praeceps labantur; quae quidem disceptatio vastissimo disputationis orbe vagatur. nam illi et disciplinam puerorum vehementer increpant, cum nihil sacri honestique sit quod a parentibus liberis religiose tradatur, et iuventutis academicae desidiam acerbe

[7] David Ruhnke(n) 1723 - 1798.

[8] Michail Pokrowskij 2.1.1869 - 10.8.1942.

[9] Philipp Melanchthon (Schwarzerdt) 1497 - 1560. scripturam *Melancthon* (non *Melanchthon*) in prioribus huius scriptoris editionibus legi et latinitati melius convenire docet Caelestis Eichenseer, *Vox Latina*, t. 33 (1997), fasc. 128, p. 207. nam ubi in graeco duae consonantes aspiratae inter se coeunt, ibi in latino prior consonans aspiratione privatur, cfr. M. Leumann, *Lateinische Laut- und Formenlehre*, München 1977, p. 159 - 162 et C. Eichenseer, *Collectanea usui linguae Latinae dicata*, Saraviponti 1999, p. 506 - 509.

denotant versumque a graecis latinisque litteris studium ad res quae dicuntur technicas. itaque decretis abundant: teneros mollesque adhuc adulescentium animos a televisione paulatim abducendos (quasi vero maxima spes non sit in ipsorum adulescentium indole posita, qui si, iam pueritiae aetatem egressi, in televisificis tamen per longum tempus insubidos magistratuum nostratium vultus sine nausea spectando sustinere possunt atque vanissimis taeniarum cinematographicarum idolis semper – nam interdum delirare etiam iuvat – tenentur, discothecis[10] aliisque desidiabulis relinquendi sunt, non docendi. spernendae sunt viles animae, sed consopitas veternoque torpentes inflammare – hic labor, hoc pretium est), ad severiores praeceptores traducendos, melioribus doctrinis imbuendos. quae omnia cum in contrarias partes ab otiosis disputari soleant, confusionem potius aggravant, quam quidquid proficiunt. quapropter ego cum haec audio ingenti hercle taedio afficior, neque mihi causarum congeries pro causa est. accedit, quod quae cum morositate dicuntur itidem accipi solent. itaque nihil praecipere in animo habui neque me causarum indagatorem profiteor, sed dedi operam ut argumenta in quibus sermones nostri saepe versabantur quaeque a Sobolevskio iam pridem agitata fuisse memoriae proditum, si ullo modo assequi possem, diligenter tractarem.

equidem video omnem istam disputationem latius patere quam ut finibus nostris contineri possit, cum nostrorum grammaticorum condicio ab exteris plerumque differat. quin etiam ne nostra quidem causa una atque simplex est, cum Mosquensium mores a Petropolitanis plerumque dissideant. Mosquenses certe longe doctissimi; quorum libri mirae eruditionis feruntur plurimi: partim editi, partim scripti non editi, partim ne scripti quidem. sunt tamen quaedam vitia, si per virtutes minus possumus, quae cum exteris in commune habemus. atque imprimis confitendum est, latinae eloquentiae studium hac

[10] tabernis saltatoriis.

aetate apud nostrates exterosque ubique languere. nam huius temporis philologi plerumque non idem latinitatis auctores sunt; et ex diverso, qui hodie linguam latinam colunt, angusto se satis gyro includunt cum nihil supra res latina lingua rite tractandas audeant. quibus de rebus factum est ut nostro saeculo tenui admodum filo latina eloquentia penderet. nam apud exteros quoque suarum rerum studium vanissimum (atque ut quaeque minor gens, id studium eo maius. quod saltem apud Russos aliter fieri debuerat) deprehendas, turpem latinae linguae contemptionem, atque stolidum illud "car il faut écrire français" mutatis, uti dicitur, mutandis, pro argumento ubique gentium obiicitur. sed praecipuum huius saeculi in litteris malum est omnis venustatis summa oblivio.

surgit praeterea ingens quaestio, conferatne aliquid nobis, qui philologiam profitemur, eloquentiae studium. vides iàm, quam eloquentiam dicam, non illam umbraticam, quae tota in veterum auctorum generibus dicendi cogitandique diiudicandis perpendendisque versetur, sed quae usu splendeat; etenim in illa exercenda diligentia et calliditas quaedam perspicitur, in hac vero ingenium plurimum valet. itaque dialogum de praestantibus prosae orationis auctoribus scribere institui, quo te oblectarem atque rem si fieri posset mihimet ipse melius ordinarem.

poetarum lectionem plurimum ad oratorem formandum conferre posse, nullus dubito; eos tamen opere nostro exsulare iussi ut, amplissima disputationis materia alio loco servata, librum meum in infinitum extendi non sinerem. ista autem quae sequuntur cum ad grammaticorum eloquentiam, quae sola oratoriae artis fundamentis non caret, potissimum spectent, non mireris me leviter tantum auctores attigisse qui neglectis grammaticae studiis, nullis accuratae doctrinae monumentis posteritati legatis, se ad praecepta tantum eloquentiae, vel ad opera historiae, theologiae, vel ad iuris scientiam contulerunt. atque e contrario eos fere neglexi, qui dum auctoribus graecis latinisve enarrandis vel maximam operam dant, ipsi exiles

admodum latinae eloquentiae auctores extiterunt. sed hoc propositum post laborum Iliada stare mihi coepit. nam primum incredibili legendi impetu penitus, atque adeo non sine latinitatis meae damno (equidem fateor me nunc libentius, quam antea solebam, si quid otii contigit, id in Plinio vel Cicerone consumere), in Vossios Heineccios Funccios Morhofios aliosque id generis antiquarios ingurgitavi, tum et in iesuitas toto pectore incubui. atque primum gratulor mihimet ipse, me salvum ex illis molinis evasisse; deinde gratulor studiis meis, quod, postquam illa saeculari pulvere sepulta volumina excusseram, tandem intellexi, eos utiles quidem esse propter rerum copiam, sed latinae eloquentiae exempla aliunde quaerenda esse; denique laetor me auctores invenisse quos admirer, quibuscum confabuler, qui me meliorem reddant.

ceterum meam istam qualemcumque curam, quae nihil dotis praeter ardentem latinitatis amorem et mediocrem latine scribendi facultatem praeferre potest, non incassum ruituram confido, qui hoc saeculo primus latinae eloquentiae historiam latinis litteris mandare adortus sum; quod nescio an perfecerim, certe aliter nisi latine res tractari omnino non potuit: nimirum qui ipsi muti politiorem humanitatem barbaris litteris illustrare conantur similes caecis sunt de pictura iudicantibus. in hoc opere conscribendo, omni praepostera eruditionis cura seposita, id tantum spectabam, ut perfecto oratori formando, quem ne his quidem temporibus exoriri posse despero, prodessem. ad usum vitae haec scripta sunt, non ad doctrinae incrementa. neque, credo, auctores ipsi, quos percensui, alio consilio opera sua composuerunt, quam ut cum delectatione legerentur atque hominibus prodessent; certe, si scissent, se nihil aliud facturos fuisse quam ut saeculo uno et vicesimo frigidis dissertationibus mactarentur et, nomina inania, in indicibus sepelirentur, tempora ista essent exsecrati. scio me contra mores huius saeculi egisse; αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν. quamquam quid ego tam iactanter? eadem fere est via quae a Cicerone, quae a Quintiliano,

quae ab optimo quoque recentiorum monstrabatur. quare non audio sermones eorum qui dicant: "invenimus qui curva nobis corrigat!". verum enimvero restituendae sunt aliquando litterae; furcillis utique extrudenda barbaries, quae cum litteras, quibus, praesumpta scientiae opinione, impie tractandis insenescit, summopere aversetur, se pro summa doctrina venditat. si autem reperiantur qui causam meam, quam quidem sentio viribus meis longe maiorem esse, impugnent, videant quo nomine ipsi sint appellandi, cum eadem opera Plinium maiorem, Macrobium, Erasmum, Menagium, Borrichium, Morhofium, Funccium aliosque polyhistores atque grammaticos quorum nomina hoc ipso dialogo ab inferis excitantur, necesse sit impugnent atque profligent. verum iuvat me non hoc tantum saeculo, sed omni inde ab humanitatis incunabulis aevo vivere, et sic breve perquam aetatis nostrae spatium extendere.

ego vero, seu iudico seu opinione ducor sive etiam errore teneor, nihil in litteris pulchra oratione admirabilius, nihil praestantius esse puto. nimirum hoc litterarum amore ductus plurimas bibliothecas atque bibliopolas Francogalliae Italiae Germaniae Russiae diligentissima opera excussi, quo immensam istam rerum agitationem nescio an cognitionem instructior susciperem. quod quaedam excerpta ex auctoribus subieci, sciebam me neque mihi neque tibi plene satisfacturum, cum omnino difficile esset de singulis locis totum orationis corpus et proprium cuique scribendi genus perspicere, id nihilominus constanter, ubi ex re visum est, feci, non eo quidem consilio ut iudicium Sergii meumve ubique comprobarem ac tamquam spoliis auctorum in triumpho vectis inanem iudicii gloriolam captarem, sed uti auctores ipsos et quidem ubi maxime sibi similes essent, libere dicere sinerem, non ut mihi succinerent; atque adeo – ingenue fateor – nescio quam mirabilem voluptatem capiebam in locis prolixius proferendis ubi sententiae meae auctores quasi refragarentur: et est profecto infelicis cuiusdam

operae atque ingenii id tantum agere velle, ut te semper recte iudicasse ostendas.

quod restat, priusquam te tandem dimittam, praefabor, me et plurimum decipi et memoria labi posse[11], atque in auctoribus commemorandis multos scientem silentio praeterisse (plures certe imprudentem fugerunt); neque credas me vel minima ex parte tam vasto negotio satisfecisse nedum doctrinae fundamenta iacere potuisse qui nihil ferme possim. ad summam, non philologorum aut oratorum album contexebam – a quo negotio plane abhorreo – sed delicias fere meas recensui. itaque si quid tumultuarie dixerim, fidei condonabis. et quid permagnis catalogis opus? nobis haec ad exemplum et usum satis, ceteris ad dentes in nos exacuendos abunde satis.

* * *

MICHAEL POKROVSKIUS – ne tu multum miseriterque casum philologiae conquestus es. nimirum de re tam pulchra conclamatum est si homines ad tuam sententiam acquiescent. sed rectene video? Erasmi *Ciceronianum* in manibus habes, tu, quem quidvis potius quam Erasmianum esse cognovi?

SERGIUS SOBOLEVSKIUS – nunc quidem Erasmum denuo sumpsi, ut in memoriam revocarem quid ille de quoque aevi renatarum artium auctore sentiret.

M. – profer quaeso, si quid seorsum a *Ciceroniano* sentias, a quo et ego recens sum et tu certe omnia argumenta in numerato habes.

[11] Berolini enim atque Neapoli, ubi extremam huic operi manum admovebam, cum multa, quae Mosquae mihi defuissent, volumina curiose evolverem, ita plurimi, imprimis autem saeculi XVII, libri non reperiebantur, qui domi mihi praesto fuerunt (inde quaedam inconsultius admisi cum in quibusdam aliis tum etiam in *Scaligeranis* proferendis, quorum ex multis editionibus, solam anni 1740 testem producere oportebat). illud praeterea erat incommodi, quod cum perpauca quaedam excerpta Mosquae facta ad manum haberem, in plerisque memoriae fuit fidendum. quae vero in ceteris bibliothecis excerpsi, omnia mihi in promptu sunt.

S. – quid? ego quidem Erasmo assentior, fuerunt tamen multi qui post Erasmianam eloquentiae censuram eximiam dicendi laudem adepti sunt. nam eloquentia latina usque ad finem saeculi XVIII viguit, mox vero concidit (paucos tamen excipio, in quibus Henrici Eichstadii[12] nomen maxime elucet), dum posterioris aevi philologi rebus magis quam elocutioni attendunt. neque, tamquam effeta natura, gentis grammaticorum laudi praeclara ingenia defuere, quorum antesignani iure censeantur Carolus Lachmannus, Otto Iahnius, Ioannes Godofredus Hermannus, Fridericus Ritschelius, qui tamen omnes, cum rebus tractandis maiorem curam adhibuerint quam eloquentiae, in optimis latinitatis auctoribus iure numerandi non sunt; et profecto eloquentia manca putanda nisi dicendi ars facilitasque atque res ipsae ex aequo polleant; tum et illud mihi maximi momenti videtur, non esse easdem res quas latine quis rite tractaverit quam quae theodisce apte explicantur. illorum autem virorum error vel maximus in eo versabatur, quod nullo discrimine habito omnia theodisce exprimi posse crederent, scilicet nihil suspicabantur homines alioqui ingeniosi, aliud esse latine auctores interpretari aliud theodisce: utrumque quidem diverso genere utile sed non idem. hodie vero, cum homines nescio quo in doctrinis "progressu" gloriantur, eo usque progressum est, ut ipsa veteris eloquentiae umbra quae superiore saeculo per frigida academiarum loca tamquam superstes sui vagabatur, propemodum evanesceret.

equidem nunc hoc tantum ago, eos qui hac aetate lingua latina utuntur, emendate et latine scribere oportere. sin autem id minus assequuntur, melius vernaculis linguis utendum erat. sunt tamen genera quaedam operum quorum gratia perit nisi latine scribantur, ut orationes, declamationes, narrationes de viris illustribus; quae si in barbaras linguas vertuntur, inepta saepe fiunt: nihil dicunt aut aliena loquuntur, ampullantur aut abiecta fiunt; latine autem scripta

[12] Heinrich-Karl Abraham Eichstädt 1772 - 1848.

sensibus valent, cum dignitate diserte dicuntur. constet suus quoque vernaculis linguis honor. quapropter honestissime Ioannes Augustus Ernestus[13] sentire mihi videtur: "Neminem autem fore tam ineptum latinae linguae admiratorem putem, quin malit librum patrio sermone, sed recte et eleganter scriptum, legere, quam qui latine quidem sit, sed barbare, aut ita scriptus, ut ab antiqua et vera elegantia abhorreat."[14] quam elegantiam Ernestus non solum in orationibus, sed etiam in scriptis de rebus naturalibus et philosophicis aliisque requirebat[15]. fortiter eandem causam propugnat nepos eius his verbis: "qui verum quaerunt, et liberaliter iudicare volunt, alterutrum putabunt necesse esse, ut aut omnem latine scribendi dicendique consuetudinem aboleamus, aut, illa servata, patiamur, ut, qui Latinitatis, vel eloquentiae studium commendant, perfectissimam eius formam proponant, summam artem requirant, mediocritatem damnent."[16]

[13] de nominis scriptura (quae est *Ernestus*, non *Ernestius*) v. infra p. 193, adn. 566.

[14] Io. Aug. Ernesti, *Initia doctrinae solidioris*, Lipsiae ^{4}1758, f. 14^{v}. idem fere sentit Iustus Christoph. Böhmer, *Programma quo ad orationem De cognatione artium* etc., Helmstadii 1709, f. 4^{r}.

[15] sed audi quibus verbis sententiam, quam modo protuli, excipiat: "Atque etiam libri huius generis [libros ineleganter scriptos dicit] saepe plus auctorum famae nocent, quam prosunt. Christiani Thomasii libri, qui patrio sunt sermone scripti, quoniam quandam vernaculam elegantiam habent, constat inter omnes, quam cupide sint a nostris, quam libenter lecti. Latini autem, quia germanicorum suavitatem non assequuntur, sed impure sunt barbareque scripti, neque apud Germanos, neque apud exteros, ut opinor, multos lectores, aut magnam laudem, invenerunt <···>. Neque dubito, quin idem fatum habituri sint hi, | qui post illum apud nos tales de Philosophia libri latini prodierunt. Docet enim hoc omnium seculorum perpetua consuetudo, eos tantum de Philosophia libros, qui essent polite ornateque scripti, ab omni genere doctorum hominum lectos, et immortalitatem adeptos esse, cum delectatione quadam omnium lectioni commendarentur: eos autem, qui nullam orationis commendationem haberent, ab unius tantum sectae hominibus lectos esse, et brevi tempore in contemtum venisse, omninoque cum auctoribus paullatim interiisse." Io. Aug. Ernesti, *Initia doctrinae solidioris*, op. cit., f. 14^{v} sq.

[16] Ioannis Christ. Theoph. Ernesti, *Lexicon technologiae Latinorum rhetoricae*, Lipsiae 1797, p. XXV.

non igitur in eo laborandum est, ut quam plurimi latina lingua hodie libri symbolaeque scribantur, sed ut quam latine. hoc nisi facimus, in eodem prorsus barbariei luto volutamur atque ii qui male vernaculis linguis utuntur. longius tendit hoc meum iudicium. neque enim patiar eos qui, cum humile atque abiectum genus scribendi colant – quod genus ipsi medium vocant, cum eorum mediocritas ad illud potius spectet: "utinam frigidus esses aut calidus! sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo"[17] –, praeclarum se aliquid agere arbitrentur. tales homines videtur mihi Cicero reprehendisse, cum diceret: "etenim a vobis salubritas quaedam, ab eis qui dicunt salus ipsa petitur"[18]. quid enim fiet, si salus ipsa fervorem suum perdat et frigore se commendare incipiat? habes iudicii mei summam. nunc facili coniectura videre licet quid de quoque recentiorum sentiam. sed quoniam de omnibus agere longum neque magnopere necessarium est, fortasse de saeculorum tantum XVII et XVIII latinitatis auctoribus disserere sufficiat. sunt enim illi multo minus quam ceteri recentiores in manibus.

M. – fac quaeso me tuae doctrinae, quam scio permagnam esse, participem; atque nisi molestum est, dic si quos eloquentes noveris, quorum libri hodie quoque obsoleti non videantur et nobis qui latinam eloquentiam exercemus legendos putes. nam ut nunc res sunt, nomina quaedam recentiorum aures nostras personant, sed interius non descendunt; quod quidem novellorum grammaticorum culpa est qui auctorum κανόνα susque deque habent, neque curant, qui recentiorum inter principes sint numerandi, qui in secundariis consistant, qui tertiani habeantur vel inferiores nominentur, qui denique in miserae plebis faece relinquendi sint; et cum omnia legenda

[17] Apocal. 3, 16. cfr. Michael de Albrecht in: *Vox Latina*, t. 27 (1991), fasc. 105, p. 452.

[18] Mur. 29.

atque edenda putent, hoc ipsum adeo incuriose faciunt, ut vix unum aut alterum invenias, qui ipse recentiorum lectione delectetur. neque hercle id facile esset in tanta rerum confusione. quotus enim quisque eruditorum hodie rem vere aestimat? ita est: dum unum quemque recentiorum nullo discrimine habito dignum putant, qui dissertationibus atque symbolis misere exagitetur, universos in luto iacere sinunt. atqui si eadem antiquis grammaticis mens fuisset, neque de primatu quondam Vergilii et Ciceronis constaret, posteri, credo, neque Vergilii neque Ciceronis opera haberent: facile enim est in indiscreta turba perire. et nonne nobis potissimum maxime ignominiosum est, praeclara ingenia debita laude fraudari pati? sed haec hactenus. ceterum, cur recentiores omnino legendi sint, non video.

S. – quam abrupte ad ultimam hanc sententiam transiluisti! ordine tamen progrediar. atque primum κανόνας a me expectare noli, qui ita grammatici nomen tueor ultroque agnosco, ut grammaticorum quoque ineptias atque levitatem in virtutibus ponam. deinde, desinas, quaeso, aliquando permagnam mihi istam doctrinam obtrudere, quae si aliqua, et quidem perquam mediocris, in me cadit, non tamen mihi, homini grammatico, ad recte disputandum prodesse potest, nam

ἦ πολυιδρείη χαλεπὸν κακόν, ὅστις ἀκαρτεῖ
γλώσσης· ὡς ἐτεὸν παῖς ὅδε μαῦλιν ἔχει[19],

quamquam, ut eiusdem poetae verbis utar, τῶν δ' ἐτέων ἡ δεκὰς οὐκ ὀλίγη[20]. dicam itaque simpliciter, qui ex recentioribus mihi placeant, qui minus, quos plane ineptos putem, securus hoc genus nugarum: an scriptores qui mihi probentur aliquid ad rhetoricae

[19] Call. fr. 75, 8 sq. Pf.
[20] fr. 1, 6 Pf.

historiam conferant necne, quid sit imitatio, quid aemulatio, cur mihi probentur, cur omnino quaerendum sit qui sint optimi – nam ista hominibus morosae diligentiae relinquo, qui aliorum commodis fortasse consulentes, sua plerumque neglegunt; neque animus est mihi talibus argutiis diffluere, neque ea aetas, qui senex sum vere Acheruntìcus. et quid multis disputandum? res in manu est. ut bene scribas, opus est primum ut scribas latine, deinde ut latine, tum ut vox tua in scripto quasi audiatur. auctores autem legendi sunt cum delectu, primum eloquentes ...

M. – sed quos mihi eloquentes auctores dicis? num Vallam[21], qui de latinae linguae elegantia libros conscripsit? at eius *Elegantias* Ramirezius de Prado[22] inelegantes appellat. num Paulum Iovium[23] historicum, mea quidem sententia, sui aevi floridissimum? eum Lipsius[24], maximus ille latinitatis auctor propter latinitatem laudat[25] et clarissimus iureconsultus Andreas Alciatus[26] vel Tacito anteponere

[21] Lorenzo Valla 1407 - 1457(6).

[22] Lorenzo Ramírez de Prado fl. saec. XVII in.

[23] Paolo Giovio 1483 - 1552.

[24] Joest Lips 1547 - 1606.

[25] id quod sequitur Lipsii de Iovio iudicium, etiamsi longius, excerpsi tamen quia locus abditior est et mihi hoc adminiculo facto in posterum facilius in memoriam revocandus: "Paulus Jovius multorum judicia magis acerba quam libera experitur. Acriter valde in virum eunt. Ego de eo sic censeo, stilo bonum gravemque esse et plane ad historiam: judicio ac fide | ambiguum. Ubi affectus non distrahunt, rectum; ubi illi adsunt, obnoxium. Ad gratiam scilicet se dat et auram. Laudationum nec caussam saepe habet, nec modum. Genti suae, Vastio, Medicaeis nimis ex professo addictus. His quidem ita ut Laurentium Medicen parricidii reum velut apud judices agat. Orationibus quoque aut frigidus interdum, aut ineptus. Laudandus tamen legendusque ob multiplicem et variam rerum seriem, quas redegit composite et dilucide in unum historiae corpus". J. Lipsii *Ad libros Politicorum notae, et de una religione liber*, Vesaliae Cliviorum 1671, p. 47 sq. (in lib. 1, cap. 9).

[26] Andrea Alciati 1492 - 1550. cfr. opus eius q. i. *De verborum significatione lib. IV et elenchus dictionum quae enodantur in iis*, Lugduni 1536. fuit quidem iurisconsultus, sed tam bonae notae, ut ab invidis grammaticus potius quam iurisconsultus appellaretur, cfr.: "Nam ab iis, qui tum primas sibi in iuris scholis vindicabant, in Grammaticorum potius quam Iurisconsultorum numero est habitus." *In secundam partem operum Francisci Duareni* ... Nicolai Cisneri ... *praefatio*, in: Francisci Duareni ... *In lib. IV Cod. et tertiam partem Digest. commentarii* ... Aureliae Allobrogum 1608, f. 3v.

non dubitavit[27], maximus vero criticus (Scaligerum[28] dico) de negotio praefracte deicit[29]. num Thuanum[30], Lipsium, Casaubonum? at traducit eos Scioppius[31], qui tamen miserabilis litterator dicitur ab Hornio[32] canisque grammaticus audit a Lambecio - haec enim narrat Facciolatus[33] ille latinitatis deus. qui quidem deus Lastesio[34] non semper adeo venerandus videbatur[35]. Muretus[36] leniter quidem, sed multis locis corrigitur a Ruhnkenio. idem Ruhnkenius in Ernestum illum, qui Cicero Germanorum cluebat, multa notare potuit, si hoc agere voluisset[37]. quid si in Gesnero[38] Gesnerus ipse inveniebat quae

[27] cfr. Octavii Ferrarii *Opera varia*, Wolffenbuttelii 1711, p. 224.

[28] Joseph Justus de la Scala 1540 - 1609.

[29] "Paulus Iovius mendacissimus et Guicchiardino inferior, nimis affectato et luxuriante stylo, potius quam castigato, utens." *Scaligerana*, Cologne 1695, p. 213 (melior editio est anni Amstelodamensis 1740, sed haec plerumque non erat mihi ad manum. hoc semel monuisse satis erit). cfr. Rolandi Maresii iudicium: "Paulus Iovius <···> mihi nequaquam ea existimatione, quam vulgo habet, dignus esse videtur. Quantum enim sentio, non bonus est historiae scriptor nec iudicio satis valet: qui si vernacule scripsisset, nullo in numero haberetur. Latinus enim sermo quasi fucus quidam labes illius multas contegit: qui prima specie elegans videtur, nam belle sonat, et quibusdam imponit, mihi non item. vix enim Latinus est; certe minime purus, totusque idiotismis scatet; nihil fere proprie effert, sed plerumque περιφραστικῶς loquitur, nec pene ulla vox est sine epitheto." Rolandi Maresii *Epistolarum philologicarum liber primus*, Lutetiae Parisiorum 1650, p. 132 (*epist.* 41).

[30] v. infra p. 103.

[31] v. infra p. 180.

[32] Georg Horn 1620 - 1670.

[33] Jacobi Facciolati, *Orationes X*, Lipsiae 1725, p. 13.

[34] Natale Dalle Laste, sive Lasterio, sive Lastesio 1707 - 1792. is optimus latinitatis auctor habebatur, cfr. Lagomarsini iudicium in adnotationibus ad Josephi Mariani Parthenii *Electricorum lib. VI*, Romae 1767, p. 95: "tanta Latini sermonis praestantia atque excellentia, quantam in paucis suspicimus". cfr. "con ogni ragione egli [sc. Lastesius] van|tarsi poteva di avere luogo fra li più eccellenti scrittori Latini" *Narrazione dell'abate Iacopo Morelli intorno all'abate Natale Lastesio*, in: *Lettere familiari* dell' abate Natale Lastesio ..., Bassano 1805, p. IX sq.

[35] Lastesius reprehendit Facciolatum propter formam "Aeneidum" (loco "Aeneidos"): "Ma quel che più mi fa maraviglia si è, che Facciolati *Latinitatis Deus* scrive anch'egli *Aeneidum*" *Lettere familiari* dell'abate Natale Lastesio ..., op. cit., p. 98.

[36] Marc Antoine Muret 1526 - 1584.

[37] cfr. *Vita Davidis Ruhnkenii auctore* Daniele Wyttenbachio, Lugduni Batavorum 1799, p. 228.

[38] v. infra p. 192 sq.

reprehenderet[39]? rursum in Ruhnkenio Bergmannus[40] et Friedemannus[41] quaedam correxerunt[42]. atqui in Bergmannum et Friedemannum, nomina obscura, nemo scripsit. credo, quia nemo novit. praeterea omnis illa Mureti atque Ruhnkenii laus emendati sermonis nunc friget, nam illorum temporibus multi libri horridae latinitatis legebantur, nunc vero si quid legitur Caesar aut Cicero aut Livius est; itaque munditiam quidem sermonis utcumque tueri possumus dum barbaros auctores non legimus. et Muretus, melior ille ingenii quam aetatis scriptor, si Ciceronis aequalis fuisset, ne Hortensio quidem cederet. attamen plus hercle damni ex lectione recentiorum capimus quam fructus, cum locutiones a latinitate alienae occulto nobismet non sentientibus blande obrepant, et quamvis cauti multum ex squalore eorum trahimus. etenim difficile est in culina ardentissima habitare quin male oleas. at quid credas mali nobis potissimum accidere posse quibus nullum aetatis tempus a lectione recentiorum vacuum fuit – nam et tu studia tua a Petrarca auspicatus es, et ego ab Erasmo, – si etiam qui numquam recentiores attingunt peiusque hydro, cetera incuriosi, vitant, barbarismis tamen eorum scatent? quotusquisque nunc est qui "hodiernos scriptores" vel "hodiernos mores" non usque ad fastidium blateret[43]? accedit, quod qui pure satis scribunt, bene plerumque non item; et ieiuni atque

[39] dicere enim solebat (teste Friderico Augusto Wolfio): "Non multa scripsi, sed relegendis, quae scripsi, interdum erubescenda deprehendo." F. A. Wolf *Litterarische Analekten*, Berlin 1817, vol. 2, p. 486. cfr. "utinam non illud in omnibus meis libellis observarem, excidere mihi solere, quae ipse damnem, quae excidere mihi potuisse, cum indignatiuncula quadam mirer." Io. Matthiae Gesneri *Opuscula minora argumenti varii*, Vratislaviae 1743, t. 1, p. VIII.

[40] Janus Theodor Bergmann 1795 - 1878.

[41] Friedrich Traugott Friedemann 1793 - 1853.

[42] D. Ruhnkenii *orationes, dissertationes et epistolae. Cum suis aliorumque adnotationibus edidit* Frid. Traug. Friedemann, Brunswigae 1828.

[43] cfr. "*Hodiernus, heutig*, ist nur beschränkt auf die Bedeutung der *heutige Tag*, nirgends aber findet es sich in der allgemeinen Bedeutung *jetzig, jetzt lebend.*" J. Ph. Krebs, J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel ^{7}1905, vol. 1, p. 655.

aridi evadunt, dum proculcatis et vulgo tantum protritis locutionibus orationem instruunt. sed quid, malum!, in universum de eorum dicendi genere dicam qui dum vernaculis linguis utuntur etiam prudentes homines videntur, cum autem latine scripturire coeperint, protinus mirifici esse volunt, atque tam a communi hominum consuetudine abhorrent ut in alium se terrae orbem abreptos esse credant ubi homines non homines et omnino omnis humanitas atque iudicium ludibrio habenda. et quid est aliud recentiores legere, nisi huic vitio indulgere? vides iam, quam difficilis in tantis rerum tenebris res sit latine scribere. itaque, ut nunc mea sententia stat, non procul absum quin in forulorum pulverem relegatis recentioribus antiquos tantum eosque admodum paucos nocturna diurnaque manu versandos censeam.

S. – tune putas me eo insaniae venisse, ut spretis antiquis, recentiores tantum evolvendos putem? in omnibus quidem recentioribus invenies verba parum propria et locutiones minus latinas, a quibus cavendum quidem puto, neque tamen ideo a lectione abstinendum. non enim singula verba artificem scribendi faciunt: spectandus est sermonis habitus et quasi mens, quae si alta contigerit, si compositio probabilis, sententiae congruae, ingenium denique romanum (in quo vel maximum positum) – non est cur talem auctorem spernamus. tum, quaeso, quomodo ipsi hodie prudenter latine scribere possumus, si numquam eos respicimus qui idem antea temptarunt? nam friget sine ingeniorum comparatione omnis aemulatio. tu nimia mihi in recentiores flagrare invidia videris, quos omnes una sententia damnas. praeterea si omnia nigra fieri vis, et Cicero plerumque nimis lentus videbitur: velles statim diceret quod dicere instituisset, et Muretus in orationibus verbis multis nihil dicit, et Lipsius nihil ad Tacitum, Ruhnkenius vero ad oceanum cui Goethe nomen est, et ego alieno saeculo intempestivae elegantiae sectator, et tu ineptus qui haec quaeris. sed ista cum veritatis speciem habeant, contraria tamen non pervertunt: et Ciceronis humanitas ubertate maxime com-

mendatur, et Mureti ingenium miraculo est, Lipsii gravitas virtuti quam Tacitus ipse a longinquo tantum admirabatur proxime accedit[44], Ruhnkenius multa melius vidit quam Goethius qui aestheticae (sit venia verbo) nubibus interdum se infuscabat; quin etiam haec omnia, quod alba sunt, veriora mihi nigris illis videntur.

itaque veteres omnes legendos censeo; recentiorum vero legendi sunt neque pauci neque admodum multi. si sententiam meam audire vis, splendeat mihi in oratione ex assidua lectione comparata Ciceronis maiestas, humanitas Terentii, simplicitas Nepotis, laeta industria Varronis, pressa Sallustii vis, quibus accedat serena mens Quintiliani, curiosa gravitas Plinii avunculi, amabilis gratia Plinii minoris, valida sensibus oratio Taciti, felix audacia Vellei Paterculi, quin etiam petulantes et improbi Senecae impetus, dulcia vitia Flori, doctae blanditiae Gellii, ingeniosae artes Frontonis, nec non candor Celsi et florida Columellae diligentia; iis iungentur ex antiquis alii complures quos omnes huc adducere alienum foret; praeterea poetarum fontibus rhetoricae agri assidue irrigentur quo viridiores fiant, et rursus nimis luxuriantes philosophorum lectione depascantur.

M. – desine, quaeso. essene quemquam tam otiosum, quin immo tam improbe laboriosum, qui omnia haec legere, nedum in unam orationis faciem tam diversa atque secum pugnantia conflare possit? si tamen reperietur quis tam multis furiis exagitatus, eum non modo bonum oratorem sed ne sanum quidem hominem putabo.

S. – cui ad multam lectionem non vacat, ad eloquentiam ne aspiret. auctores inquam legendi sunt, nemo imitandus. boni praecipue quam minime imitandi, sed mirandi atque attente legendi. nam non imitatione erudimur, sed contemplatione rerum magnificarum, quae contemplatio nos meliores reddit. omnino ad indolem linguae latinae, quae diligenti tantum lectione comparatur, non ad singulos auctores

[44] Lipsium non tantum Cornelianis sensibus non imparem interpretem, sed etiam in quibusdam Tacito ipso superiorem esse censet Famianus Strada (*Prolusiones academicae*, Romae 1617, p. 35).

scribendum. hoc enim modo efficiamus ut ex multis elementis unum corpus confletur, qui unam habeat animam. ea autem indoles nisi multis perlectis atque inter se comparatis perspici non potest. loquatur quisque ad pectus suum[45], quod si cui vehemens permagnum sinuosum contingat, is licet periodis se involvat; cui vero minus – concisis sententiis loquatur. quare non minus Lipsianam brevitatem quam Mureti periodos admirari soleo. neque tamen sermo latinus huius temporis simplicior esse debet, quam Lipsii Mureti Ruhnkenii aliorumque bonorum auctorum: ignaviae utique non est indulgendum. neque eos moror, qui haec quia difficilia sunt, spernunt. est enim hominibus penitus insitum ut praeclara omnia fieri non posse priusquam sint facta iudicentur. formemus autem orationem verbis antiquis sensibus nostris. quibus vero nulli altiores sensus suppetunt, relinquant hoc negotium, aut omissa eloquentiae cura res tantum rite tractent: neque enim in re tenui tenuem gloriam assequentur, modo latinis vocabulis apte uti sciant. nobis tamen, qui eloquentes esse volumus, absit morosa circa vocabula diligentia: habitus universae orationis spectandus; et nos nova fingere liceat, et latius vagari quam ut a grammaticis praescriptum – nam et nos, si ita fert, latinitatis auctores sumus – dummodo in universum ad indolem linguae latinae respondeamus et idonea auctoritate, quae non solum a Cicerone, sed

[45] ad suum quisque ingenium loquatur, non ad auctorum. hoc est simiarum, illud hominum. itaque nimius mihi Breithauptius videtur, qui dicat: "<···> proponat modo ad imitandum, si cholericus est, cholericum, si sanguineus, sanguineum, si melancholicus, melancholicum scriptorem; et excitata propensione, omnia sibi ex voto fluere, mutato vero auctore, felicem hunc successum iterum cessare, facile deprehendet. Quocirca latinitatis auctores pro diversitate temperamentorum ita distribui posse videntur, ut sanguineis Cicero in pluribus scriptis suis (in libris philosophicis, epistulis ad familiares, nec non in quibusdam orationibus); cholericis Plinius Secundus (inprimis in Panegyrico, qui absolutissimum ambitiosi atque elatioris stili exemplum nobis sistit); et melancholicis Florus, aut quivis alius difficilis oris scriptor ad legendum proponetur." Christiani Breithauptii *Programma de latinis auctoribus, qui pro stilo legendi sunt*, Helmstadii 1720, f. 5^{v}.

etiam a Symmacho aliisque petenda, nos adversum iniquos iudices tueri possimus. ceterum non veteres usque sequamur: videamus aliquando si per nosmet ipsi sapere possimus et posteris cedro digna monumenta relinquere. nam et recentior aetas nova quaedam induxit, quae manent. quod si negamus, futilis est tota haec de eloquentia recentiorum disputatio.

quod vero in nostro quem instituimus sermone maximum est, his quas supra memoravi dotibus quamvis instructissimo oratori, nisi gratia eius recentiorum lectione cumuletur, semper aliquid ad perfectam humanitatem deerit. penitus quidem veterum lectione imbuendi sumus, recentiores tamen sedulo evolvendi sunt vel eo consilio, ut ad antiquos quasi per gradus quosdam ascendamus. nam Ciceronis splendor ita primum oculos perstringit, ut caecutiant aspernenturque caeleste illud lumen. itaque clarae luci paullatim recentiorum lectione assuescendum; quare non absurde Wyttenbachius, qui sese ad latinitatis studium quodammodo magis legendis Mureti orationibus, quam ipsius Ciceronis excitatum fuisse fatebatur, et si quid ad scribendi facultatem profecisset, eius se magnam partem Mureto debere[46]. et memini me Petrarcae lectione primum impetum ad Ciceronem legendum cepisse. hinc Cicero totum me sibi artissimis amoris vinculis devinxit. tum noctes – atque illarum noctium memoria dulcissimum amoris pignus manet – usque ad ipsum mane cum *Somnio Scipionis* vel *Tusculanis* transigebantur, tum lacrimae illae felices, tum suspiria, et ego cum prima luce domo egressus fervida mente plenisque auribus – nam procedente lectione saepe vox erumpebat – fessus simul et felix ad obeunda miserae munia vitae egrediebar. fateor me amore perculsum virtutes Ciceronis primum parum intellexisse, sed mens irrequieta iam tum thesauros praesagiebat; quos denique ut vidi, ut perii. et sunt illi maiores, quam ut

[46] vide D. Wyttenbachium in: *Bibliotheca Critica*, pars 10, p. 115; et id. in: *Φιλομαθίας τὰ σποράδην. Miscellaneae doctrinae liber primus*, Amstelodami 1809, p. 209.

mente complecti possint. quid? oratio Ciceronis nunc tamquam continuo spiritu periodis involvitur, nunc in planas sententias explicatur, nunc concisis distinguitur; nunc sublimia nunc terram tuta petit; plena, ubi visum est brevis: humilis media summa. sed vel maxime mihi ille placet cum fulgurat atque omnia miscet: summa imis; instat atque torrentis instar per devexa violentius tamquam per riparum angusta coartatus fertur, cum canoro sensuum impetu ruit reconditae sapientiae arcana secum volvens, ripas aureis sententiarum ramentis ditescens - tum enim modo ex abrupto tonat, modo ...

M. - ohe, iam satis est, *sat prata biberunt*. scio te in Ciceronis laudibus totum diem consumere posse. sed paulo abducendus es ab hoc pabulo, ubi latissime vagari soles. tu vero non vides, te abiectam sane condicionem recentiorum depingere, quorum eloquentiam, si qua est, non propter se ipsam esse expetendam? cum autem dicis, legendos quidem esse recentiores, sed eo consilio ut Cicero atque veteres legantur, hoc quemadmodum dicas non intellego. nam si recentiores isto pacto legendi essent, fatendum tibi erat, non iis amplius operam dandam simul ac primum viam ad Ciceronem aliosque veterum patefecissent.

S. - non movet te quod si via ipsa optimo cuique recentiorum cum veteribus communis est, non de veteribus aut recentioribus amplius agitur, sed de nobis ipsis, ne devii scilicet erremus? neque te movet, quod ea ipsa via sine recentioribus nusquam reperiri potest? nam neque tam acre est nobis ingenium, ut antiquorum ingenia nisi a magnis recentioris aevi viris monstrata videre atque intellegere cum fructu possimus, neque tamen tam inique de natura humana comparatum est ut, semel monstrata via, non ad ulteriora per se facile tendat. itaque per vices quasdam ad optima quaeque ascendendum puto: et sicut Petrarcam Cicero amore Ennii imbuit, ita ego perlecto Petro Bembo primum intellexi quantum Cicero excelleret. duce Lipsio ad Tacitum perveni, Erasmo hortante Hieronymum amare didici. denique veteres et recentiores legendi sunt, non ut qui nusquam

errent, sed quia ad meliora nos vocant. ut autem ad causam recentiorum revertar, huius saeculi in auctores antiquos commentarii – hoc enim exemplo uti libet – scientiae potius quam humanitati servire videntur: etenim neminem credo tam durum atque inhumanum esse ut istas in immensum crescentes hodie scribentium moles haurire possit. vis omnes Ciceronis epistulas iucunde commodeque legere? aggrediare Pauli Manutii[47] commentarium. at errat ille interdum: errat, fateor, sed Ciceronem amat, sed orationis leporem sentit et feliciter exprimit. longe aliter qui hodie grammaticam profitentur: inficeta omnia et sordida tantum diligentia conflata invenies. ad minutias enarrandas fortasse boni, sed mali duces si totum Ciceronem perlegere vis.

M. – illo tempore Manutius vixit, quo Cicero criticorum inopia laborabat, nunc vero ipsis remediis laborat aegerrime, medicorum turba ita circumventus, ut viva (ut dicitur) vox eius vix ad lectorem perveniat. et non dico de criticis (ei enim optime de auctoribus hodie quoque merentur), sed de eis qui nubila captant, intertextualitatis (cum barbaris enim barbare loquendum est) monstra producunt, aut de Ciceronis humanitate ipsi barbari disserunt. isti enim dum tales tricas curant, tempus certe numquam habuere ut totum Ciceronem commode iucundeque perlegerent. istos miseros esse iubeo.

S. – quo magis Manutium tibi commendo. lege Manutium si excors non es; eo perlecto aditus ad Ciceronem patebit, deinde, dum summam tenes, facili negotio de singulis rebus minutiisque, si quid opus sit, huius temporis commentaria symbolasque criticas consultabis. sin vero versa vice opus tentabis, minutiis iis symbolarum atque commentariorum qui hodie scribuntur oppressus, numquam, non dico omnes Ciceronis epistulas (nondum dixi omnes auctores antiquos, quod utique perfecti philologi munus semper fuit eritque) legere possis, sed ne unam quidem epistulam sine suspiritu videre queas.

[47] Paolo Manuzio 1511 - 1574.

M. – restant adhuc fortasse, qui cum huius temporis commentarios libenter pervolvant, veterem tamen commentandi rationem non spernant, neque enim credo deesse eruditos, qui animi causa Ciceronis epistulas cum commentario Manutii legere malint, sed ii perpauci sunt, cum plerique eorum qui hodie litteras profitentur ideo auctores legere videantur, non ut ipsi meliores evadant sed ut mendas auctorum expiscentur vel aliquid novi praepostera diligentia construant.

S. – quod perinde est, ac si quis laetissima prata eo consilio pervagetur, ut inveniat ubi segnior aut nulla herba sit ibique se mire delectet corpusque prosternet, moleste ferens amoenitatem loci. hodie vero ipsa adnotationum mole auctores excutiuntur, vix delibati. certe citius Ciceronem totum perlegero, quam centesimam partem symbolarum in eum. sed laborandum est in Manutio. fateor. at nonne peius atque adeo infelicius laborandum in symbolis, quae legimus atque – ingenue fateamur – ipsi interim conscribillamus? ille tamen labor voluptatis fructum fert, hic vero taedium ac triste senium parit.

M. – voluptatem istam quidem, quam dicis, non sperno; sed quomodo ea ad studia nostra conferat, nondum video. atqui si meliores nos reddere volumus, melius, credo, nobis erat, missis ambagibus, non intempestivam elegantiam captare aut mendas librariorum exquirere pulicesque excutere, sed nos ad sapientiae studium conferre.

S. – quae si unam tantum speciem haberet, expediret fortasse sapientiae studium. nunc vero cum incerti erremus, neque lux ulla appareat, temptanda est via qua, maiorum studiis adiuti, per nosmet ipsos sapere possimus. certe, naturam furca expellere, auctor numquam ero. itaque si quis nescio qua dulcedine captus, malorum auctorum barbariem exhorrescat atque libros eorum vernacula lingua conscriptos non alia de causa aspernetur quam quod sordide sentiant atque loquantur (necesse est sordide sentiant, qui abiecte loquuntur), is mihi meliorem de se spem concipiat, eum virum bonum atque bonum oratorem futurum esse proclamo; hac tamen condicione: si ingenio

scribendi exercitatio atque plurima lectio accesserit. habes iam quid in universum sentiam, nunc, age, ad recentiorum causam redeamus. atque quoniam argumentis me agere voluisti, argumentis amplius non agam, sed ipsa recentiorum tractatione monstrare conabor, quid quisque ad eloquentiam conferat.

M. – accipio legem; tu vide, ne ea abutare.

S. – ego vero adnitar, uti severum iudicem praestem: aliter enim mihi non credes, ut qui scias, me recentiorum fautorem semper fuisse. nolim equidem in oratione mea videri longior, sed quid faciam, cum immensa mihi undique saec. XVII et XVIII turba auctorum ingruat, ut nulla alia aetas librorum copia magis laborare videatur[48]? nam saeculum XIX multo minus libros latina lingua conscriptos fudit. itaque, cum constet multos quidem chartas atramento oblevisse, paucos vero insignite eloquentes extitisse, ut vix singulos singulis aetatibus optimos auctores invenires, copia cum delectu enarranda est neque omnium quos legerim hic censuram agam, ne sermonem meum in infinitum extendam: lectissimos potissimum tractabo. multi tamen in iudicium vocandi vel eo, quod bonorum auctorum virtutes ex comparatione minus idoneorum melius perspiciuntur. atque ut statim sententiam meam aperiam, inter recentiores principes latinae eloquentiae Muretum, Lipsium, Ruhnkenium esse censeo. hi enim summam doctrinam cum summa eloquentia iunxere; nam illos triumviros (Salmasium Scaligerum Casaubonum dico) cum singulari studio in altiores litteras colendas incubuissent, maiore felicitate in re critica atque in antiquitate indaganda, quam in latini sermonis elegantia usos fuisse, nemo qui scripta eorum noverit, infitias ibit. ex iis autem quos dixi eloquentiae principibus unus Ruhnkenius in disputationem nostram legitime cadit, cum Muretus saeculo XVI

[48] cfr. "Equidem si unquam alias, nostro imprimis aevo scribendi illud plurimos cepit cacoethes, adeo ut cum majores nostri penuria laboraverint, nos copia Scriptorum laboremus" Matthias Henricus Burchardus, *Laurus Cimbrica arescens ad busta ΤΟΥ ΠΑΝΥ Morhofii*, Lübecae [sic] 1695, f. 5v.

mediante, Lipsius vero sub finem eiusdem saeculi floruerit. sed Ruhnkenius praeclare fecit quod Mureti opera edidit (utinam nostro saeculo ederentur atque in manus hominum devenirent, qui hodie latine scribere conantur), cum et ipse Ciceronem ducem sibi proponeret et sentiret Muretum ea felicitate Tullianam expressisse eloquentiam ut, nisi res quas tractasset recentiorem scriptorem proderent, ipsum Ciceronem a te legi putares[49]; haec, cum ex parte valde probem, de integro tamen rem ordiri velim.

M. – iam Ciceronem mihi denuo iactabis.

S. – quidni iactem? Cicero thesaurus est, quo pauci honeste uti queunt. itaque de iis primum agam qui ex professo Ciceronianae eloquentiae se addixerunt neque tamen dubiam eloquentiae laudem adepti sunt. et quoniam magnae quaestionis rem aggredior, latius fines orationis meae proferam usque ad initium XVI saeculi excurrens. atque omnibus, qui iure Tulliani nominis capita censentur, praestat Muretus. is quidem non tam laboriosa imitatione quam largo spiritu et felici impetu valuit; etenim, teste Scaligero[50], vel optimae epistulae Mureti vel minima temporis iactura consarciebantur; et feliciora fere litteris argumenta tractavit quam Paulus Manutius, cuius epistulae itidem inter optimas feruntur: rem tamen Muretus melius tenet, sensibus numquam languet.

M. – at idem in orationibus studuit quam multis verbis quam minime dicere.

S. – sed hoc vitium – si copia vitium appellanda est – omnium Ciceronianorum, quos vocant, est; neque, credo, in eo potissimum grege nescio cuiusdam altae sapientiae viros, ut Blasium Pascalium, quaeras.

M. – est itaque maxima latinae orationis laus apte atque copiose communia tantum dicere?

[49] D. Ruhnkenii *orationes, dissertationes et epistolae. Cum suis aliorumque adnotationibus edidit* Frid. Traug. Friedemann, Brunswigae 1828, p. 488.

[50] vide in *Scaligeranis,* s. v.

S. – minime. immensum enim quam interest quo animo dicas. profecto pusilli animi orator nihil aliud quam communia et frigidos sensus loquetur. felix vero Mureti ingenium nusquam magis cognoscitur quam in partibus ubi non habet quod dicat: tum enim lectorem maxime secum rapit. atque hoc maximis tantum ingeniis contigit. simili de causa Rabelaesium maxime admiramur: ruit ille facundo ore, neque ubique scias quid dicere velit – nihil dicit sed quam facunde ubertimque id ipsum nihil! (hoc usus sum exemplo, ut qui sciam te multo magis scriptores admirari solere, qui vernaculis quam qui latinis litteris utuntur). nam rebus narrandis, quae si magnae contingunt, non est difficile magna praestare, difficile vero sine rerum pondere magnifice loqui.

M. – mira doces. et quid Quintilianus, si haec audisset, diceret?

S. – in hanc sententiam iret, si coniectare licet. et nonne hoc maxime oratorium est, movere et delectare? hoc praestat Muretus plenissime. nam quod bene satis, pro rebus quidem quas tractaverat, docebat, ne tu quidem neges. est praeterea alia condicio veterum alia recentiorum: Muretus non in foro sed in auditoriis disserebat; itaque omni forensi pulvere excusso, artem tantum agebat, non pugnam. atque sicut forensi pugnae ferrea magis arma conveniunt, ita auditoriis auro interdum et argento distincta. Muretus vero eo nomine laudandus, quod armis suis aliter quidem atque Cicero, sed aeque bene usus est.

M. – at Ruhnkenius cum Muretum laudaret, ob unam tantum rem laudabat, scilicet eum propter similem nescio quam ingenii formam tam feliciter Ciceronem imitatum esse, ut paene Ciceronem ipsum in Mureto renatum esse videre sibi videretur, et certe integrum Ciceronem expressisset, nisi propter saeculi labem necesse esset ut minor Muretus evaderet. nullam itaque aliam quam imitandi virtutem extollit in eo Ruhnkenius. ego certe, mallem nullius homo ingenii esse quam ut tali laude mactarer.

S. – etiam Ruhnkenio errare licet. equidem puto (neque hucusque Ruhnkenius mihi contradiceret) verba glomerare, periodos moliri, idem semper multimodis dicere, non esse Ciceronem exprimere: qui ideo Cicero est, quod est nemini imitabilis. profecto verbis et dicendi formulis oratio Ciceroniana non absolvitur, sed singulari Ciceronis humanitate, quae non in verbis sed in pectore posita est, quamque in alias formas migrare – nisi Pythagorei sumus – a rerum natura negatum est. atque hercle peraeque ridiculum esset si quis in musica componenda maiestatem Georgii Friderici Handelii sive vehementes Ludovici Bethovenii impetus imitari institueret. quae cum ita sint, non tamen negaverim esse quendam animorum per omnia saecula commeatum, cuius condicio et lex, ut magnus animus nisi a pari percipi intellegique non possit. Mureti vero humanitas non a Cicerone venit, qui vita et moribus a Cicerone alienissimus erat, sed a pari animi magnitudine atque felicissima ingenii vena. quod autem periodos loquitur et verbis Ciceronis utitur, non ei quidem nocuit: sentias optimum artificem optime materia usum esse. illud vero affirmare pro certo ausim, bonum oratorem optime semper materia operis usurum; petet vero eam unde ipse velit. neque periodis eloquentiam metiri licet. quid? non est, credo, probri habendum quod Plinius maior nullam periodum ita effinxit, ut Cicero pro sua vellet agnoscere (hoc pace Ruhnkenii dixerim, qui Plinio minori id ipsum tamquam vitium imputat[51]): sinamus Plinium esse Plinium i. e. virum floridissimae planeque virilis eloquentiae: is enim tum potissimum sensibus valet cum verborum inopiam et quasi quandam sensus deficientiam deprehendas. quod autem Ruhnkenius de *ingenii forma* prodiderit, quae, scilicet ipsa natura conspirante, Mureto eadem esset atque Ciceroni, dispeream si probem. hoc enim esset duos Cicerones habere malle quam unum Marcum Tullium.

equidem multis de causis uberrimum Mureti ingenium miror, qui

[51] D. Ruhnkenii *orationes*, op. cit., p. 488.

cum Seneca aliisque vergentis latinitatis auctoribus mire quam delectaretur, tamen vix quidquam inde traxisse videtur. at ipse de se praedicabat, se interdum ab Apuleio, Cassiodoro, Sidonio Apollinari et similibus adiuvari: id falsum esse omnes inde ab Scioppio consentire mihi viri eruditi videntur. omnes itaque auctores noverat, sequebatur vero suum tantum ingenium, subactum illud quidem iudicio atque multa lectione. atque si vim Mureti maxime experiri vis, lege, si me audis, ultimas quas scripsit orationes. neque immerito Iosephus Scaliger de Cornelio Tacito orationem vehementer admirabatur[52].

priusquam ad saeculum XVII perveniamus, breviter reliquum prioris aevi Ciceronianorum gregem decurramus. Paulus Manutius mihi non ubique probatur. elegans simplex et perspicuus est in commentariis: dixeris sermonem generi quod cum maxima laude excoluit prorsus accommodum esse. commentarius in Ciceronis epistulas, ut dixi, est utilis et singulari lepore praeditus. in ceteris scriptis nusquam assurgit: hoc est dum ignem (Ciceronem dico) exprimere vult, lignum tantum affert. epistulae Manutii incorruptam quidem sermonis integritatem praeferunt, sed non multum ad rerum notitiam faciunt. ceterum eas tanto studio et lima scripsit ut aliquot menses singulis litteris impendisse diceretur; itaque illae vultum nitentis prae se ferunt.

Christophorus quidem Longolius[53] Ciceronem amavit plurimum, non ut mutuus amaretur. verba habet Ciceroniana et magnifica, sensus pueriles; neque aliter fieri potuit, cum Cicero magna verba magnis rebus aequiparasset, is cothurnis in comoedia incederet. fortasse melius fecisset si Plinio avunculo continuam operam daret; sed infelici quodam fato incitatus a Bembo[54] solius Ciceronis lectioni se addixit.

[52] quam orationem sub finem vitae Muretus composuit. "quid elegantius ejus oratione de Tacito et aliis?" *Scaligerana ou bons mots, rencontres agreables, et remarques judicieuses et Sçavants de J. Scaliger*, Cologne 1695, p. 278 (= *Scaligerana, Thuana, Perroniana, Pithoeana, et Colomesiana...*, Amsterdam 1740, t. 2, p. 466).

[53] Christoph de Longueil 1488 - 1522.

[54] Pietro Bembo 1470 - 1547.

Petri Bembi comptula et odoribus differta eloquentia iuvenem me maxime tenebat; et nuper, quod mireris, cum relegerem, vestigia quaedam pristini amoris redierunt: adeo homo inconstans animal est. Petro Victorio[55] multum Cicero debet, ut qui ab multis locis ad pristinam dignitatem sit restitutus, sed ipse non multum leporis a Cicerone mutuatus est; ceterum tersus, elegans, sententiis acutus. Aonius Palearius[56] meretur inter optimos Ciceronianos numerari. est copiosus et Tullium feliciter exprimit ut qui ipse calorem illum in animo aluerit. propter purum et emendatum sermonem commendabiles sunt Marci Antonii Maioragii[57] orationes. Ioannis Calvini[58] profluens oratio sordium secum quam minimum trahit, nihil igitur ei constans cum Cicerone consuetudo nocuit[59].

Lipsius quoque iuvenis in Ciceronianis fuit. postea totum dicendi genus mutavit. hic locus ipse postulat, ut divinam Lipsii epistulam legam (simul et admirabile Lipsii dicendi genus tibi insigni facundiae exemplo ostendam), ubi posteritatem ipsam obtestari mihi videtur. agit causam suam contra Ciceronianos quosdam qui praeclare se scribere censebant, sed quo argumento? scilicet "quod elumbia quaedam, et exsanguia scribant: quod jacentia verbis, sensibus, numeris: quod denique sic algentia, ut refrigerare possint Germanicas suas nives. Et o ridiculum! nec ad Ciceronem quidem serio nos vocant: sed ad Melanchthonem suum, virum mihi, nisi a religione, haud aspernabilem; sed nec inter duces aut antesignanos ad eloquentiam ponendum. Hunc admirantur, hunc tollunt, numen cum altero suo numine habent: de quo verissime Bonamicus in Italia interrogatus dixerat: "Videri eum Latine loqui incipere". Revera ita est, isti velut in margine et finibus Latii | haerent; adspiciunt

[55] Pietro Vettori 1499 - 1584.

[56] Aonio Paleario 1504 - 1570.

[57] Mari-Antonio Majoragio (Maria Antonio Conti) 1514 - 1555.

[58] Jean Calvin 1509 - 1564.

[59] "Les Opuscules de Calvin sont fort belles: il lisoit tous les ans son Cicéron" *Pithoeana* in: *Scaligerana, Thuana,* op. cit., t. 1, p. 499.

elegantiam, et mirantur; intra pectus, aut linguam, non admittunt." tum ad se Lipsius se recipit atque hisce verbis crimen obscuritatis diluit: "Atqui nos obscura et intricata scribimus. Nescio, dicam libere, mihi de me non videri: immo hoc in laudibus meis vel maxime censeo, quod in brevitate nubes vito. Dicant et judicent, qui Latine modice intelligunt: dicant, qui vel levem gustum habent politioris litteraturae"[60]. sed hic quoniam quodammodo nos posteros alloqui videtur Lipsius, fateamur verissima eum de se praedicare. neque mihi dubium est, fueritne Lipsius eloquens, cum semper persuasum mihi habuerim, eloquentes non verba sed pectus nobile facere.

M. - vah! quam alta petis. equidem facile tibi concedo sensus validos et incomptos a nobili animo proferri posse etiam gravissime, sed singultientes istas voces pro vera sinceraque eloquentia accipi nolo: est oratio Lipsii proscissa et dissuta, periodi saltitant, idiotismi undecumque petiti dissiliunt, vocabulis temere ab ultima antiquitate depromptis novissima admiscet, stercus denique Ennii atque Pacuvii in adamantinam Taciti pyxidem infundit efficitque, dum modo cum Euandri matre modo cum Ambrosii grege loquitur, ut sermo eius omnium saeculorum chaos quoddam esse videatur.

S. - mane paulisper, et cetera audi: "Nec tamen nego esse aliquid in meis scriptis vel vetustius fortasse, vel concisius dictum: quod sic solum prolatum, in culpam possit cadere: sed idem excusari et erigi, si quo loco, argumento, vel ad quem scriptum sit, videatur. Nempe in *Criticis*, ubi ex professo litteraria et antiqua tracto: quid mali sit, vocem aut phrasim esse interdum antiquiorem? Ut in epistola ad virum subtilem, et doctum? cur non brevius aut eruditius scribam? Fecit Cicero ille, et variavit, cum ad Lentulum, Pompejum, Caelium, aut Atticum scriptitaret. Nec affectatio ea in nobis est, ah quam errant! eodem calami tenore et impetu, illa mollia aut vulgata, et

[60] cfr. Iusti Lipsii *Opera*, Vesaliae 1675, vol. 2, p. 971 sq. (epist. ad Henricum Uwenum, Idib. Febr. a. 1606 data).

haec strictiora aut meliora scribimus"[61]. et qui sunt, quibus displicet Lipsius? nimirum ii plerumque qui aut virilem eloquentiae dignitatem ferre non possunt aut qui ipsi muti vel inepti locutulei alios eloquentes esse non sinunt.

M. – Ioannes Philippus Krebs[62], homo eruditissimus, proscribit Lipsium[63].

S. – o di boni! qui ille iudicare potuit qui ipse mutus semper extitisset? atque idem de Mauricio Seyffertio[64] Hermanno Mengio[65] et Naegelsbachio[66] sentiendum, qui ingentis laboris, neque tamen parvae utilitatis, si cum maturo iudicio adhibeantur, opera conflarunt; ego puer in Mauritii Seyffert *Palaestra Ciceroniana* duo annos misere contrivi, integrum annum in Naegelsbachio desudavi, at quantum temporis in Hermanno Menge insumpseram! melius, hercule, totidem annos Ciceroni legendo seposuissem. sunt quidem illi robustioribus lectitandi stili exercendi gratia vel potius inspiciendi in ambiguis grammaticae casibus; et fatemur nos quondam numquam ab eorum lectione nisi doctiores recessisse (nunc vero videntes scientesque aliter plerumque scribimus atque Krebsius Mengius Seyffertius Naegelsbachius iubent, qui oratorem de argenteae aetatis divitiis in serviles angustias detrudere gestiunt. frustra.) sed, sterilia ingenia, ad perpetuam imitationem nihil valent. viden' ut misere moliuntur! ipsi putidi, disciplinam quandam[67] praeferunt semperque in ore habent; scilicet congestis tantis molibus aedificium nullum extruitur, et qui

[61] ib. p. 972.

[62] Johann Philipp Krebs 1771 - 1850.

[63] J. Ph. Krebs, J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1905, vol. 1, p. 15.

[64] Moritz Ludwig Seyffert 1809 - 1872.

[65] Hermann Menge 1841 - 1931.

[66] Karl Friedrich von Naegelsbach 1806 - 1859.

[67] cfr. "Das Individuelle, Manierierte, Fernliegende, Bizzarre kann unmöglich der harmonischen Entwicklung des Geistes zur Grundlage dienen, sondern nur eben das Alltägliche und Gewöhnliche. [o ineptias! itane tibi, o bone, Cicero se numquam supra cottidianae vitae mediocritatem extollit?] Es gilt also, diesen allgemeinen Typus der Regelmäßigkeit und Einfachheit, als dessen Repräsentant uns Cicero gilt [iam denuo!], an diesem Muster dem Schüler mit *aller Strenge der Disziplin* zum Bewußtsein zu bringen. Die Disziplin giebt den verschrieenen Ciceronianern ihre höhere Weihe, den Cice-

ipsi scribere nequeant, aliis praecipiunt. ubi, quaeso, mihi scripta eorum latina, solida laude digna[68]? sic summa grammatica in summa copia obmutuit. itaque reicio grammaticos istos, qui cum omnia cum pulvisculo excutiant, ad eloquentiam nihil conferunt; quippe, neque ipsi eloquentes fuerunt, neque usque ad hunc diem quemquam eloquentem ex disciplina sua educere potuerunt. neque ingrati animi crimen metuo. quin immo gratissimo animo, cum definiunt quid cuique auctori usitatum sit necne, adiumenta haec accipio; quando autem praescribere conantur quas loquendi formulas recte quis imitetur fugiatve, risum tenere non possum.

sed nescio an maior pestis sit elegantiarum et flosculorum puerilis captatio, quo vitio nostri hodie maxime tenentur, qui cum in grammatica rudes sint, veterum auctorum lectione leviter tantum tincti, recentioribus ne longe quidem a vestibulo salutatis, mirifici sibi latini sermonis artifices videntur. sciolos istos protinus molas in disciplina Hermanni Mengii[69] Mauricii Syeffertii[70] et Caroli Friderici Naegelsbachii[71] per quadriennium versandas mando uti resipiscant; deinde, si spem non fefellerint, meliora iam edoctos in veterum auctorum uberrimos campos mittam, ubi robora sumant atque in sole Ciceronianae facundiae sanum colorem ducant, postremo validos iam laetosque, quo ultima quasi laborum lima perpoliantur, recentioribus tradam, ut bonis delectentur, in deterioribus vero iudicium acuant. ceterum iudicium in idoneis quoque auctoribus exerceatur.

ronianern, die das Wesen nicht in vereinzelten Wendungen und Phrasen, sondern in der Totalität des ciceronianischen Geistes suchen, denen das einzelne Wort als Vehikel der Disziplin für die Zucht des Denkens und Wollens heilig ist." M. Seyffert, *Palaestra Ciceroniana. Deutsche Originalstücke zum Übersetzen in das Lateinische in Cicero's Schreibart*, Leipzig [8]1883, p. IX.

[68] Andreas Theragrus (Thierfelder) in laudatione funebri Hermanni Menge fatetur pauca prorsus atque frivola ex illius penu scripta latina evolavisse, cfr. A. Thierfelder, *Hermann Menge*, in: *Bursian Jahresbericht* vol. 275 (1941), p. 60.

[69] H. Menge, *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik*, Leverkusen [11]1953.

[70] vide supra p. 38.

[71] K. F. von Nägelsbach - I. Müller, *Lateinische Stilistik*, Nürnberg [9]1905.

M. – haec belle quidem sonant, sed quomodo iudicium in Lipsio legendo exerceas, quem sine iudicio admiraris? enimvero dum Lipsium defendis tuam quodammodo causam agere mihi videris, qui post longam servitutem frena tandem elusus, ieiunam, ut ipse dicis, grammaticorum disciplinam asperneris, ingenuam, ut tibi videtur, libertatem secteris.

S. – amo quidem Lipsium effuse, sed cum iudicio; cuius summa haec est: eloquentiam quae admirationem sui non parit, nullam esse; hoc nomine Lipsium amplector, hoc multis praefero, non ut ipse eum exprimere studeam, sed ne in tanta malorum auctorum multitudine eloquentiae laudem sequi desperem. Lipsium admiror, non imitor – nam illa imitatio affectatio esset: itaque si Lipsium amo, omnem affectationem odi sicut ipse oderat. etenim quid Lipsio cum affectatione? quae si ei iuveni aliqua fuerit, certe ea aetate, qua epistulam, quam modo protuli, conscribebat, omnis evanuit. praeterea exemplis docemur, omnes Lipsii imitatores malos latinitatis auctores fuisse. atque imprimis abeat mihi cum libellis suis Erycius Puteanus[72], scriptor impunitae licentiae, Lipsii assecla affectatiunculae non ferendae. ille sibi fortasse homo perquam lepidus vel adeo magnificus[73] videbatur cum talia scriberet: "Laudatus non te laudo, ne non tam proferre judicium meum quam referre gratiam videar: sed amatus amo, cum vel non amatus debeam. Amor urget mutuum, laus recusat; laus ex Amore nascitur. Sic igitur a te laudor, quia amor; sed non te laudo, quia laudor."[74], mihi miser videtur[75]. is cum puerilibus suis

[72] Hendrik van Put 1574 - 1646.

[73] nihil enim curo si ipse *Thyrsos* suos "minutam scriptionem" (Erycii Puteani *Epistolarum atticarum missus secundi*, Coloniae 1681, p. 239) fucata modestia dicit.

[74] Erycii Puteani *Thyrsi philotesii, sive Amor Laconissans. Stili et Sermonis Aculei*, Lovanii 1609, p. 13 sq.

[75] aliter videbatur Vernulaeo, cfr. "Scio, nec diffiteri hic volo, reprehendisse quosdam in eo, quod infra styli sui Elegantiam argumentum scriptionis aliquando sumeret, nequaquam se dignum, aut nominis fama. Quicquid sit, rem parvam et exilem stylo magnam ac grandem efficiebat; | imo etiam ea quae natura sua non alliciebant, ei quandam

aculeis praecisam nescio quam atque vultuosam brevitatem captantibus nusquam tam moleste loquax videtur quam cum laconismum suum propugnat[76], neque aliter fieri potuit apud hominem cui sententiarum congeries pro eloquentia fuit. merito itaque vapulabat a Moreto bibliopola nobili[77]. in orationibus quibusdam (excipio utique illam de ovo[78], ubi dum lepidus esse studet, a communis sensus consuetudine insulsissime abhorret) aliquanto melior, in epistulis etiam multo melior, nam genus hoc de pyxide eloquentiam minus çapit. lege quaeso epistulam Puteani de Ciceronianis – simile enim argumentum a Lipsio tractatum modo vidimus – quo melius iudicare possimus quantum a Lipsio degeneraverit: "Atque utinam sic scribam (ad hos enim redeo) qui Ciceronianos se, nescio qua fiducia, dicunt! utinam te[79] videant, quibus sudor omnis in vano quodam verborum strepitu consumitur, et e emendicata Phrasi! qui oratores etiam videri volunt si lati|nitatem Tullii, non dicam usurparint, sed corruperint! Sic qui

pulchritudinem ab Elegantia sua affundebat, ut placeret. Erat enim stylus eius purus et ornatus, brevis sed torosus, non circumductus inani ambitu, plenus tamen spiritu quodam vegetus." Nicolai Vernulaei *Oratio In funere Clarissimi et Amplissimi viri Erycii Puteani*, Lovanii 1646, f. 7^{r-v}.

76 "Absit Vitium, laudare Virtutem aggredior: ipsum inquam bono suadae auspicio, Oratorium Laconismum. Et nonne Laconice? Argumentum suadet, Auditorium urget: obsequar, et quam quisque in omni materie poscit, dabo Brevitatem. De Moribus, de Republica, de Natura rerum dicat alius; nisi brevis, odiosus est. At meum, hoc ipsum, quod in omni argumento placet, argumentum est. Dicam breviter, quia vultis; imo copiose, si vultis. *etc.*" Erycii Puteani *De Laconismo syntagma*, Lovanii 1609, p. 23.

77 "M. Vossius m'a dit, que Moret, fameux Imprimeur d'Anvers, reprochant à Erycius Puteanus, successeur de Lipse, qu'il ne faisoit que de petits livres, celuy-ci luy répondit, que Plutarque et plusiers autres Autheurs de l'Antiquité en avoient aussi bien fait que luy. Alors Moret luy repliqua, croyez-vous que vos Livres que je ne puis débiter, soient aussi bons que ceux de Plutarque? Ce qui mit Puteanus en colère, et le fit sortir de la Boutique de Moret." Pauli Colomesii *Opuscula*, Ultraiecti 1669, p. 124 sq.

78 *Ovi Encomium* in: Erycii Puteani *Suada Attica, sive Orationum selectarum Syntagma* (operum omnium t. 1), Lovanii 1615, p. 499 - 576.

79 hac epistula (quae est data Lovanii d. XI Kal. m. Iul. a. 1607) alloquitur Ioannem Baptistam Saccum Mediolanensem.

mendici semper sunt, post unam aliquam orationem, et vel in ipsa paupertatem suam inveniunt, et ineptius etiam non agnoscunt. Aut ignaviam, aut stupiditatem profitetur, quisquis de alieno scribit; nec laudem huic tali, sed profectum duntaxat concedimus, si ad exercitationem scribat."[80] – haec illi incohata potius quam viriliter (sicut certe a lectore accipi vult) dicta, exciderunt. deinde, fateor, paulo melius: "Nulla haec doctrina est, voces aliquot colligere et transferre, ut e verbis tandem argumentum nascatur scriptionis. Serere hic oportet, non plantare, et uti a radice fructum, sic ab ingenio laudem auspicari."[81]

M. – haec talia esse sinamus. sed nonne videtur tibi de Melancthone Lipsius duram nimis sententiam tulisse? equidem quid in illo reprehendam, non habeo. est sermonis perfectus quasi architectus: periodis progreditur, clare sententias construit, rem tenet. ne multa; citra labem scribit, quae laus non est ultima.

S. – at idem absque Venere. nihil brevius, eruditius profert, nihil variat, nusquam assurgit. omnia uno tenore usque ad nauseam, nihil quod feliciter dictum de improviso mireris[82]. orationes ludum litterarium redolent ...

M. – tu nimius mihi in Melancthone insectando videris. sed quid facias tibi? quod in Puteano reprehendis, in Melancthone requiris. sed melius, puto, omitteres vetera haec, ad recentiores properares.

S. – omisissem libenter, nisi peioris exempli quam ingenii homo esset. omnis enim Germanorum eloquentia a Melancthone, licet interdum inscientibus ipsis, fluxisse mihi videtur. quod vel teste Theophilo Christophoro Harlesio[83] probare possum, qui cum Ciceronem illum Germanorum – Ioannem Augustum Ernestum dico, ad

[80] Erycii Puteani *Epistolarum atticarum promulsis*, Coloniae 1681, p. 309 sq.

[81] ib. p. 310.

[82] cfr. "Melanchthon estoit sçavant en langue latine, mais c'estoit un esprit sans nerfs, lasche [sic], mol." *Perroniana sive excerpta ex ore cardinalis Perronii*, Genevae 1667, p. 209.

[83] v. infra p. 198.

quem tu, si recte perspicio, properare me iubes – laudabat, tamquam alterum Melancthonem laudaret[84]: tantum Melancthonis nomen usque ad finem XVIII apud Germanos valuit. atque Melancthonis tota ista eloquentia res est – uti tibi aliquando accedam – perspicua atque quodammodo facta, sed eadem, ut animi sensum ingenue proferam, mire quam ieiuna atque puerilis.

M. – iam denuo! quin hominem omittas.

S. – eloquentia Melancthonis, inquam, admirationem illam divinam non movet, at recte Cicero: "nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam dico"[85]. sed, uti mones, relicto in praesens Melancthone, videamus, si quid fructus ex ceteris percipere possimus.

iure ab Italis initium capiamus; quorum gloriam recensenti quo me primum quo deinde vertam nescio, cum ingentem ingeniorum messem videam, ut in ipsa copia difficilis sit delectus; quo magis mirari soleo infrunitam Alembertii frontem, qui ausus sit affirmare Italos latina lingua non pollere. quod impudens mendacium fortiter

[84] cfr. "Verdient ein Gelehrter eine Ehrensäule, so ist es gewiß Ernesti, dieser würklich großer Gelehrte, der zweyte Melanchthon: in manchen Stücken noch mehr als Melanchthon, besonders was das critische Studium anbetrift." Gottlieb Christoph Harles, *Kritische Nachrichten*, Nürnberg 1782, p. 66; cfr. ib. p. 73; cfr. "Talem quidem, et litteratorem et theologum, ante haec duo saecula habere desiimus, tum Philippum Melanchthonem, communem Germaniae praeceptorem, tum Ioachimum Camerarium, proprium Academiae nostrae lumen, suae scholae conditorem, qui et ipse per quadraginta annos docendo scribendoque Lipsiam suam ornarat." *Elogium Io. Aug. Ernesti publice scriptum ab Aug. Guil. Ernesti* in: Io. Aug. Ernesti *Opusculorum oratoriorum novum volumen*, Lipsiae 1791, p. 255. neque Ernestus ipse infitiabatur, maximam sibi Melancthonem admirationem movere, cfr. Io. Aug. Ernesti, *Opuscula varii argumenti*, Lipsiae 1794, p. 43; id. *Opuscula oratoria*, Lugduni Batavorum 1767, p. 63; 95. ceterum varia de Melancthone iudicia pete ex: Thomas Pope-Blount, *Censura celebriorum authorum, sive tractatus in quo varia virorum doctorum de Clarissimis cuiusque Seculi Scriptoribus Iudicia traduntur* <…>, Genevae 1710, p. 615 - 618.

[85] ep. frg. VIII 8 Müller.

reppulit Clemens Sibiliatus[86] Patavinus, bonus quidem latinitatis auctor, maxime commentario *de vita Foscareni* celebris, opere disertiore nescio an loquaciore[87]. melius Italorum condicio saec. XVIII ineunte ab Iacobo Facciolato hunc ad modum enarratur: "At vero saeculo XVI ita florere [sc. Latinitas] visa est in Bembo, Paleario,

[86] Clemente Sibiliato 1719 - 1795. cfr. "[Sibiliato] <···> inveisce [sc. nella *Vita J. Torelli* (Padova 1780)] contro il D'Alembert, che negava agl'Italiani la perfetta conoscenza del latino." Giulio Natali, *Il Settecento* (*Storia letteraria d'Italia* VIII, 1), Milano [6]1964, vol. 1, p. 468. Ferrius quoque (Girolamo Ferri, saec. XVIII, eloquentiae professor) contra Alembertium scripsit in libro q. i. H. Ferrii, Longianensis, *Pro linguae latinae usu epistolae adversus Alembertium. Praecedit commentarius de rebus gestis et scriptis Hadriani Castelli cardinalis, quo imprimis auctore, latinitas restituta,* Faventiae 1771. contra Alembertium aliosque latinae linguae obtrectatores egit Iosephus Antonius Aldinius (Giuseppe Antonio Aldini, saec. XVIII) in dissertatione *De vera latinae linguae fortuna,* Caesenae 1775 (in: Aemilius Springhetti, *Selecta latinitatis scripta auctorum recentium (Saec. XV - XX),* Romae 1951, p. 3 sqq.)

[87] cfr. (de Foscareno): "Natura itaque intus erat, quae sententias illi, ac verba praeiret, ut non quaesita, sed sequuta videretur oratio, et quivis, nondum tamen expertus, tacite sibi polliceretur eadem se eodem modo esse dicturum. Vis autem dicendi in eo tanta, et sic erat animus ardens et incitatus, ut vel in familia|ri congressu nunqam languesceret ejus vox et oratio, sed vibrans, et contorta ferretur, ac sese per oculos, vultum, motumque prope omnem corporis ejacularetur. Ita cum totus incalesceret, alios quoque ardoris sui communione, quasique contactu, incendebat. Phantasia supra quam dici possit, pollebat, ut nunquam illi fons imaginum exaresceret. Hinc igneus ille, ac vitalis calor rem intus alens, ac toto se orationis corpore miscens; hinc in tropis amoenitas, in figuris spiritus, in sententiis coloris ac lumins diffusus nitor; ac demum illa evidentia, in causae narratone praesertim, et factorum expositione, qua pictas, seu potius exsculptas res ita in conspectu figebat, ut non audiri viderentur, sed cerni, ac manu prope tentari. Vis autem et gratia verborum ab imaginandi vi et elegantia profluebat, resque non apposite enunciasse, sed vivide concepisse dicentis prima laus erat. Peracris igitur ac parata imaginandi facultas isthaec, corpus inter at animum media, illi praesto erat non solum ad oblectandum, sed etiam ad docendam permovendamque concionem. Nam cum hominum animus rerum formas a materiae concretione sejunctas abstractasque, licet ipse ejusdem cum illis naturae sit, aegre recipiat, phantasia, deductoris officio velut functa, eas per aspectabilia istiusmodi involucra ac integumenta ad animum transmittit, qui a perspectis ad minus cognita recipienda proclivius perducitur, non secus ac ignotus homo non illibenter nostris tectis ac sedibus excipitur, quem notus et amicus hospes secum introduxerit. Is autem inerat mentis splendor et amplitudo, ut res quaelibet

ab eo dicendae cognata his virtutibus semina retinerent, et quae|cunque ingenio linguaeque attigisset, quod de Mida falso prodiderunt poetae, vere in aurum converterentur. Obscuris itaque lucem, jejunis copiam, tenuibus magnitudinem, obsoletis novitatem affundebat, quaeque interdum ab aliis fuissent inventa, elegantius ac magnificentius efferendo, reddebat sua. Sed illud maxime FOSCARENUM e vulgo oratorum eximebat, suaque quasi naturali nota obsignabat, quod idem grandiloquus et simplex pudicam dicendi salubritatem inaffectatumque candorem cum veneribus blandimentisque orationis miro foedere consociabat, vitiorumque ac virtutum, quae mutua sese extremitate contingunt, confinia probe dignoscens ac disterminans, acumen cum perspicuitate, gravitatem cum lepore, copiam cum delectu ita temperabat, ut in copia nihil profusum, in lepore nihil frigidum, in perspicuitate nihil vulgare deprehenderetur. Ingens eo dicente silentium, fecundis tantum admurmurationibus interruptum, intenti in illum oculi, defixae aures, ac prope illigatae aureis catenis, quas ex Herculis Gallici lingua prodeuntis finxit antiquitas, ferebant prae se tacitam audientium voluptatem assensioni lenocinantem; ut si etiam quandoque causa caderet, sententia quidem, non eloquentia victus discederet. Quemadmodum enim non is tantum vicerit strenui imperatoris, sic non is solum, qui persuaserit, boni oratoris nomen dignitatemque tuetur, sed si alter sic aciem instruat, alter sic instituat orationem, ut victoriam consequi possit ille hostium, hic animorum." [Clementis Sibiliati] *De eloquentia Marci Foscareni Venetorum ducis*, Patavii 1765, p. III - V.

et in ceteris suis operibus eundem orationis tenorem varium quidem et disertum sed in ipsa varietate iisdem semper verborum constructionibus fultum sustinuit: scias quid primum dicat quid secundum addat, quid deinde superveniat sententiamque amplificet, quo denique modo periodum concludat. cfr.: "Nimirum in illo [sc. Benedicto XIV] ea doctrinae facultas inerat, ut posset, is pietatis habitus, ut vellet Christianam Rempublicam, iisdem, ac terrarum orbis, terminis circumscriptam tueri. Praesto erat doctrina, ut agenda sapienter cogitaret, pietas, ut cogitata praeclare perficeret; illa, ut voce et scriptis subjectos late populos erudiret, haec, ut, quae calamo, linguave tradiderat, suomet obsignaret exemplo. Magna profecto laus, quod tot ac tam egregia litterarum monumentis tradiderit; major, quod tradiderit gravissimis curis ac muneribus ab ineunte adolescentia implicitus; maxima, quod in eo fastigio collocatus, quo nec augustius in terris ullum, nec curarum plenius, nunquam in|termiserit studia doctrinae. Sive enim ita natura comparatus sit hominis animus, ut vix unquam abduci possit ab ea exercitationis assuetudine, cui semper fuerit innutritus, praesertim si jucunda sit, atque laudabilis; sive illud probe intelligeret, qui omnia prorsus intelligere consuevit, imperii alicujus dignitatem iisdem, quibus paratur artibus, partam sustineri; sive, quod vero propius est, optime nosset in summo Sacrorum Praeside ac Tutore sacrae doctrinae facultatem in proprio fundo natam, non ex alieno arcessitam exquiri; ita certe operosam Pontificiae procurationis sollicitudinem cum tranquilissima divinarum humanarumque disciplinarum contemplatione conjunxit, ut alterutrum tantum agere videretur, cum tamen utrumque ageret." p. IX sq.

Mureto, Manutio, Sigonio[88], Sadoleto[89], Naugerio[90], Riccio[91], Amasaeo[92], Luisino[93], Alcionio[94], et aliis, ut ad auream illam Augusti aetatem proxime accesserit. Etsi autem elapso proxime saeculo rursus coeperat declinare, | non quidem, ut ante, magistrorum inopia, sed nimia quadam copia in ejus interitum studiorum similitudine conjurata; tamen hoc tempore, implorata undique ope, respirare videtur, et in pristinae dignitatis spem assurgere."[95]

saeculum XVII auspicabitur nobis a Ioanne Baptista Donio[96] patricio Florentino, poeta, musicae artis scriptore, grammatico, et (quae est non ultima laus) Ioannis Miltonii (John Milton) poetae amico; qui praeclari operis atque – quod in id genus scriptis rarum est – sani iudicii *Epinicium Ludovico Francorum Regi Christianissimo, Ob receptam Rupellam* [= La Rochelle], *repulsamque Anglorum classem*[97] scripsit[98]. iudicium atque eximium animi candorem in epistulis Donii

[88] Carolo Sigonio 1523 - 1584. cfr. e. g. eius *Pro eloquentia IV; De usu linguae lat. l.*, Venetiis 1560.

[89] Jacopo Sadoletti 1477 - 1547.

[90] Andrea Navagero 1483 - 1529.

[91] Bartolommeo di Ricci 1490 - 1569. cfr. eius lib. q. i. *Apparatus latinae locutionis*, Lugduni 1534; *De imitatione libri III*, Venetiis 1545(9).

[92] Romolo Amaseo 1489 - 1552, scripsit *Scholas II de latinae linguae usu retinendo*, Bononiae 1580.

[93] Francesco Luisini 1523 - 1568.

[94] Pietro Alcionio 1487 - 1527.

[95] Jacobi Facciolati *Orationes*, Lipsiae 1751, p. 26 sq.

[96] Giovanni Battista Doni 1593 (vel potius 1594, vide Ang. Mar. Bandinii *Commentariorum de vita et scriptis I. B. Donii*, Florentiae 1755, p. I) - 1647.

[97] Romae 1629.

[98] haec inde libenter excerpsi: "Iam vero hoc minime controversum est, factionis illius ac sectae praecipuam quandam arcem ac sedem Rupellam fuisse: in cuius retentione, ob situs commoditatem, munitionumque firmitatem, omnem suam spem fiduciamque collocarint. demum Rupella erat quae illis animum, ac pertinaciam addebat. de hac nimium quantum gloriabantur. ea salva vix caelum, ac tartara pertimescebant. Rupella regnum Galliae quietum esse non sinebat. Rupella factiosum quemque e dynastis ac proceribus obviis ulnis excipiebat. Rupella denique omnium rebellionum, civiliumque dissidiorum fomes, atque asylum iure censebatur. Ea nunc recepta, ac debellata, quis non videt abesse non posse quin reliqua paucula oppida, quae mitissimum regiae potestatis iugum detrectant, brevi resipiscant, ac deditionem faciant." p. 9. de hac oratione vide Ang. Mar. Bandinii *Commentariorum de vita et scriptis I. B. Donii*, Florentiae 1755, p. XL, et I. B. Donii *Commercium*

admirari licet[99]. nobilis et admiratione dignus auctor est Paganinus Gaudentius[100]; sano atque nervoso dicendi genere commendabilis[101].

litterarium, ed. studio et labore Ant. Francisci Gorii, Florentiae 1744, col. 84; 97. vide APPENDICEM I.

[99] etiamsi interdum minus latinae sint, cfr. Antonii Francisci Gorii iudicium: "Latinus Donii sermo non ubique castigatus; sed, ut properanti calamo dictabat animus, multa eloquii ubertate et affluentia ad cordis intimos sensus dictandos expressus." in: I. B. Donii *Commercium litterarium, op. cit.*, p. XI.

[100] Paganino Gaudenzi 1595 - 1649. falso scribitur: "Paganino Gaudenzio" et "Gaudentius Paganinus", sicut peccatur in: Jozef IJsewijn, *Companion to Neo-Latin Studies. Part I*, Leuven 1990, p. 210; 344. de legitima vero nominis scriptura egregie docet Iosephus Godenzi, vir illustris ex gente Gaudentiorum, pietate erga Paganinum insignis, cui pro opera atque benigno in haec mea studia animo magnam habeo gratiam, cfr.: Giuseppe Godenzi, *Paganino Gaudenzi. Uno scrittore barocco in bianco e nero nel quarto centenario della nascita 1595 - 1995*, Poschiavo 1995, p. 34 sqq.; id. *Paganino Gaudenzi* (Pubblicazioni Universitarie Europee, Sezione IX, vol. 6) Berna - Francoforte/M. 1975, p. 9.

[101] cfr. e. g.: "Triste fatum manet malos versus, malosque libros. et merito. Cur enim perennarent inficetiae, cur irent per ora hominum ineptiae? fugit irrevocabile tempus. quod cum vix suppetat legendis egregiorum hominum monumentis, cur impenderetur versandis indoctis exemplaribus? satis habet incommodorum ipsum seculum, cur augeretur infelicitas insulsorum vatum | nugis? quaedam non promovent gradum extra Urbem, in qua sunt natae. nempe irata Lucina cum prodierint, quantocyus [sic] in censum veniunt libitinae. Vitales cum non sint, intra aliquot dies, aut menses efferuntur tumulantur. o factum bene. hoc est, quod Catullus protulit de Volusii annalibus, quod ad ipsam morituri essent Paduam, in qua compositi, conscriptique fuerant." Paganini Gaudentii *Obstetrix litteraria sive De componendis et evulgandis libris dissertationes*, Ienae 1704, p. 95 sq. et: "In Scholis hac tempestate Aristotelem philosophicaque arcana qui enarrant, Auditores, sic fere se gerunt, ut solliciti de sententia unius praeceptoris, reliqua omnia transmittant, negligant, insuperque habeant. Nam Platonem tanti non faciunt, ut quandoque inspiciant saltem obiter. Stoicos non lectione, sed risu excipiunt. Pythagoreos indignos putant, de quibus instituatur disputatio. Cum vero uni Stagiritae, et aliquot ejus interpretibus adhaerescant, inque ipsis latendo senes se reddant, mirum non est, si non solum reliquorum philosophorum capitales sententias spernant, sed vitas eorum, qui philosophi sunt ignorent, omnemque historiam quae philosophiae multiplicem succesionem tradit, supervacaneam opinentur esse, existimentque tempus, quae ipsi cognoscendae impenditur, falli frustraque conteri." haec sumpsi ex exordio orationis quae est *De historia philosophica excolenda, Dissertatiuncula habita Pisis ad Studiosos Philosophiae, cum excuderetur liber de Initio, et Progressu Philosophiae apud Romanos*, in: Pagan. Gaudentii *Initium et Progressus Philosophiae apud Romanos*, Halae Magdeburgicae [1643], p. 88.

sed Italorum omnium qui saeculo XVII et XVIII floruerunt – iuvat enim protinus ad summum virum tendere – princeps est Octavius Ferrarius[102] patricius Mediolanensis et in Lyceo Patavino professor, vel ipso Facciolato et Paulino[103] praeferendus. atque Ferrarius quidem est plerumque inaequalis et ingeniose habilis ad disserendum potius quam omnibus numeris absolutus orator: doleas eum in verborum ubertate[104] sensibus interdum languere (hoc ei utique cum ceteris Italis commune est) et fractum iacere. et contra locos invenias singulari lepore conditos atque narratiunculis lepidis distinctos[105]; est tamen – quod magnae laudi duco – ubi vehementer assurgat, ignescat atque legentium animos teneat; veluti in undecima prolusione, quae inscribitur *Periculosae valetudinis, atque ancipitis curationis*

[102] Ottavio Ferrari 1607 - 1682. cfr. Ioannis Capellani (Jean Chapelain) de eo iudicium: "C'est la première plume latine d'Italie, et qui y tient la place qu'autrefois Tite-Live y tenoit." *Lettres de Jean Chapelain*, publiées par Ph. Tamizey de Larroque, Paris 1880, t. 2, p. 731 (in epistula ad Colbert die 24 m. apr. a. 1671 data), cfr. Jean Chapelain, *Lettere inedite a corrispondenti italiani*, con introduzione e note di Petre Ciureanu, Genova 1964, p. 266; cfr. Ioannis Georgii Graevii de Ferrario iudicium: "apud omnes unum nunc esse qui pristinam litterarum dignitatem in Italia sustineat quique non tantum Patriae suae sed et Europae et saeculi sui decus fulgeat. Heinsius noster superest qui unus omnium optime novit nullum esse nostrum congressum quem non praeconium Ferrarii tanquam accessio legitima suaviorem reddat." (ex epistula ad Capellanum data) ib. p. 320.

[103] de eis vide infra p. 54 sq.

[104] equidem non obicio Ferrario κοινισμόν (i. e. vitium confusae sibique dissimilis dictionis), quod Facciolatus ei vitio vertebat (Iacobi Facciolati *Oratio ad Humanitatem*, Lipsiae 1716, p. 19).

[105] ut haec in oratione de misera latinarum litterarum in Italia condicione ("*De causis pereuntium literarum. Prolusio VIII*"): (nobilis atque dives quidam vir italus traducitur): "ad quem cum nobilis belga officii causa invisisset latine compellans, pythagoreus ille nunquam induci potuit, ut silentium solveret, donec hospes confusus et indignabundus, tanto ludibrio habitus, discederet. Displicuit ea res familiae, nec defuit ex illo grege, qui molliter herum tangeret, quod eo contemptu dignum | hospitem credidisset. Refert herus, se ideo non respondisse, quia linguam germanicam non intelligeret. Sed ille, inquit familiaris, latine, non germanice loquutus est. Tum procerum litteratissimus subiratus, Cur mihi ante hoc non dixisti, nam illi latine respondissem?" Octavii Ferrarii *Opera varia*, Wolfenbuttelii 1711, p. 92 sq.

narratio[106]. etiam viriliter loqui mihi videtur in oratione quae est *Pro Cornelio Tacito,* anno 1653 habita[107]. in prolusione *De Germaniae laudibus* eodem anno habita verborum artificia mireris[108], iudicium fortasse minus, cum instrumenta belli maiorem ei admirationem movisse videantur (vel certe maiore cum cura illustrantur et verborum copia instruuntur), quam Germanorum de litteris graecis atque latinis merita, quae tamen viro umbratico magis nota esse debuissent, quaeque ipse, ut initio innuebat, magni fecisset atque oratione percurrere institueret: id viro gravi, cui nec animus nec eloquentiae vis defuit, non temere ignoscendum; ignoscendum tamen professori, qui fortasse nihil aliud agebat, quam ut dulci oratione animos adulescentulorum captaret et parentes argento emungeret.

Ferrario proxime accedunt celebres oratores Ioannes Vincentius Gravina[109], cui alteram a Ferrario palmam dederim, et Antonius Malagonellius[110], ambo ex Arcadum Societate, diverso dicendi gene-

[106] Octavii Ferrarii *op. cit.,* p. 128 sqq.

[107] *op. cit.* p. 222 sqq.

[108] cfr. "Occurrit primo, nescio horrendum magis, an admirandum germanici ingenii inventum. *Nova belli machina,* incertum iratis ex provocatione, an propitiis diis excogitata, naturae trepidantis terror, urbium strages, novaque praeceps addita fatis via, terrestre fulmen, ac coeli tonantis imago: non qualia veterum bellica tormenta, aetatis huius ludibrium, quae funibus tenta, post longas moras stridente nervo lapides, aut hastas ignavo pulsu emittebant; sed intra cavum aes exiguo pulveri demersa flammae semina, stipata ferro, ubi admotum spiraculo ignem concepere, non diu luctata pestis erumpit, densaque fumi nube intermicantibus fulgetris immanes ferreos globos, ac volitantium pilarum procellam, cum horribili impulsi aetheris sonitu effundit. *etc.*" *op. cit.* p. 246.

[109] Gianvincenzo Gravina 1664 - 1718. de laudibus Gravinae diserte egit Maiansius, vide: Gregorii Majansii ... *Epistularum libri sex,* Valentiae Edetanorum 1732, p. 12 - 14.

[110] Antonio Malagonelli, fl. saec. XVII ex.

re clari: Gravinae oratio[111], etsi impeditius progreditur atque interdum, ut ita dicam, vastior est, plus gravitatis habet, Malagonellius vero purior tersiorque; is se primum ad Ferrarium imitandum composuisse videtur, mox suo ingenio magis fidens, festivae ubertatis (agnoscas ei

[111] cfr. e. g.: "Nec enim exutis romanis moribus civitas retinetur, et civis romanus est non quem septem colles ediderunt, ac educarunt, sed qui e veteribus Romanorum institutis expressus est atque formatus, quique in antiquitatis memoria diu versatus, e veterum cognitione atque imitatione factorum suscepit ac refert mentem animumque romanum. Quo sane qui careat, quamvis in Capitolio natus, exsul fuerit ille, non civis. Contra, quisquis constans est in retinenda libertate, quisquis in sacramentorum fide religiosus, in adeundis periculis impiger, fortis in patriis legibus institutisque tuendis, quisquis ad voluptates temperantiam, ad injurias magnanimitatem, ad sumtus magnificentiam, ad secundas adversasque res animi aequabilitatem adhibuerit, is exstincta jam Roma illa veteri, quamvis e media Scythia fuerit exortus, a romanis virtutibus [utinam id nobis contigisset! sed aspiremus Horatio Corneliano: "Si vous n'êtes Romain, soyez digne de l'être" Pierre Corneille, *Horace*, 483] romana civitate donatur; praesertim si romanos mores non factis solum, sed incorrupto usu latini sermonis expresserit. Romanum enim nomen et Urbis dignitas in eo conservatur in quo lingua, morum index et romani mores intermortui reviviscunt." *De contemtu mortis Ad Franciscum Pignatellum archiepiscopum Tarentinum*, in: Gianvincenzo Gravina, *Scritti critici e teorici*. A cura di Amedeo Quondam, Roma - Bari 1973, p. 157 (= Jani Vincentii Gravinae, JCti, *Opera*, Lipsiae 1717, t. 3, p. 695).

"Quid igitur, tua Petre, virtute gloriosius, per quam effeceris ut Moscho de solo, unde immanitatem populi alii formidabant, nunc humanitas ab ipsis humanitatis auctoribus expectetur, et vetus gloria colle ab Heliconio tamdiu aberrans, aetate nostra in Riphaeis montibus conspiciatur. Hanc autem praeclaram spem, nulla quae Graecis dominatur barbaries, nobis eripuerit. Oritur enim ea spes a te, cujus irritatur a difficultate fortitudo: quae non modo conjuratos domesticorum et exterorum furores et insidias toties pressit atque refregit, verum et ipsam ventorum violentiam, oceanique iram superavit, quando, tempestate coorta, cum navis, quae te vehebat sursum ac deorsum provoluta undarum paene voraginibus hauriretur, inter lachrymas, gemitusque tuorum procerum, postquam singulis animus concidisset et salutis desperatione clavum gubernator e manibus dimisisset, unus tu in tanta turbatione hominum et naturae immotus et in communi pallore praefulgidus, gubernaculo repente arrepto vocibus et exemplis exanimatos comites erigebas, ac dilabentes nautarum vires revocabas ridebasque timorem eorum, qui nescirent cujus fortunam secum haberent: donec mare, veluti constantia tua domitum, cederet, relinqueretque tibi victoriam frementium et indignantium procellarum. Hac eadem constantia, tempestatem illam perdomiturum spera-

Plinium minorem et Livium[112] in deliciis fuisse) laudem affectavit. nec infeliciter; nam probabili oratione casum Viennae[113] a Turcis obsessae enarravit. cf.: "Urbs interea diutino labore, et exaggeratis obsidionum malis oppressa, atrociorem in dies experiebatur vim hostium; Jam rari propugnatores, subruta moenia, desperata auxilia, polluta omnia odore, sanie, contactu: Sed nil aeque clausos fatigabat, quam arctior annona, crescensque omnium inopia. Ad haec, dubiae militum vires, suspecti et civium animi. Erant, qui turbidis vocibus,

mus, quae proprio avertit e fonte literas, victoriisque tuis confidimus Graeciae clavum, de manu barbariae ad sapientiam rediturum." *Pro romanis legibus Ad magnum Moschorum Imperatorem*, in: Gianvincenzo Gravina, *op. cit.*, p. 443.

ex oratione *De instauratione studiorum Ad Clementem XI Pontificem Maximum*: "Inter Latinos autem dicendi virtus floruit, quoad libros coluere atque imitationi studuere Graecorum: postquam vero libertatem amiserunt, novum sub imperatoribus genus eloquentiae tentarunt, fractum nempe illud exangue et fucatum: solique jurisconsulti vetustam stili simplicitatem et integritatem, quam studio et consuetudine legum adsciverant retinuere simul cum amore libertatis, quem profitebantur, dum jussa principum ad juris rationes et ad communem populi utilitatem interpretatione sua revocabant, ut decebat eos, quorum animus assiduo inter leges veteres, nempe inter mores antiquorum candidos et liberos versabatur. Nos vero Itali recentiores, quorum ingenia et literas barbarorum irruptio atque longa dominatio conculcaverat, postquam diu jacuissemus, ad veterem gloriam erecti sumus ab altero prope dixeram Homero, Dante nimirum Aligherio: per quem divina providentia remisit Italiae pristinam doctrinae atque eloquentiae lucem e cineribus Graecorum et Latinorum in vernacula divini poematis lingua felicissime renascentem, novasque latinae graecaeque dictionis aemulos in posterum exsuscitantem, Petrarcam nimirum, Boccatium et quotquot postea summos oratores atque poetas, cum latinos tum vernaculos, aluit Laurentii Medicei et Leonis X beneficentia: qua simul cum eis extincta, italica dictio statim inhorruit, et in scholis nostris, quae antequam publica doctorum hominum alimenta cessissent in opulentiam ambitiosae pietatis, a Politianis, Victoriis, Sigoniis, Robortellis, Manutiis, Muretis, illuminabantur, nunc ineptiarum atque argutiarum seges adolevit, quibus adolescentium ingenia, longe deterius quam Gothorum et Vandalorum rusticitate corrumpuntur." Gianvincenzo Gravina, *op. cit.*, p. 364.

112 quod et ipse fatebatur, cfr. Antonii Malagonellii Florentini *Orationes IX. Quibus accesserunt XXXVI. Epistolae*, Romae 1697, f. 27r.

113 i. e. Vindobonae.

et minaci silentio, vanas spes, et inconsultam resistendi moram Ernesto objectarent."[114] haec quidem satis belle, nisi omnia fere ad Titum Livium essent. sed ordine valet, omnia apte, nihil fere absurde (nisi fortasse cum de hominibus ultro e muris cadentibus loquitur: "e muris cadere in hostem nitebantur, ut insigniori in Patriam fide, suis etiam cadaveribus pugnarent."[115]); non sine studiorum fructu legendae sunt orationes *In funere Clementis X*[116] et *In funere Christinae Gothorum, Vandalorum, ac Svecorum Reginae*[117] habitae. magnam mihi de iudicio Malagonellii opinionem habere vetat oratio de *Osculo*

[114] *Ob Viennam ab Obsidione Turcarum Liberatam. Oratio II. Romae habita* in: Antonii Malagonellii *op. cit.* p. 46.

[115] ib. p. 44.

[116] cfr. inde: "Superbiebat, Cretensibus nuper devictis, infida gens Thracum, et nostris illa discordiis in tantum elata, ut Sarmatiae populos intestinis tunc odiis furentes toto fortunae strepitu invaderet, et expugnatis arcibus, Regni sedem libero jam Marte tentasset, nisi CLEMENS X. Vicariam Dei manum fulmine armatam in Barbaros Quirinali e coelo | exeruisset. Discussae statim Furiarum sinu civilis discordiae faces, excitatae ferocissimi Regni vindices irae, repressi hostes, temerariae eruptionis poenas adeo daturi, ut postea cladis argumenta fuerint, deleta penitus castra, oppleti cadaveribus campi, et rapidissima caede retardata flumina, quae velut in partem gloriae, numquam altiori alveo Sarmatica intumuere victoria." p. 121 sq. si autem ad historiae fidem res narranda, Clemens pontifex nihil in hac occasione fecit, nisi quod Iubilaeum Universale indixit et legationes misit, modica addita pecunia.

[117] cfr. inde: "Augebat auctoritatem loquentis sidereus oculorum fulgor, et augusti pudoris ingenitum decus, quo nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referebat. Saepe nimirum professa est studiis suis debuisse, quod non animum secunda extollerent, non minuerent adversa, quod pulsa errorum caligine, ad veritatem Romanae lucis emerserit; quod denique, ut de se dignum aliquod Deo voveret, opes, honores, Regna, liberos, et duraturam in posteris Majestatem Virginitati donaverit." p. 142. ceterum bonis malignisve de Christina sermonibus oratio ista alimenta addere non potest, et nihil fere ad historiam affert.

proditionis in Academia Humoristarum habita[118], nemini, nisi qui verborum bombis delectatur, commendanda[119].

eodem saeculo cardinalis Ioannes Bona[120] auctor clarus habebatur, qui in opere luculento cuius titulus *De divina psalmodia* Boethii vestigia legens solutae orationi versus immiscuit; eidem operi *Notitiam auctorum* adiecit, qua praestans liberalium studiorum specimen dedit[121]. ceteros theologos litteratos, ut ab instituto nostro alienos, taceo. alioqui memorandi mihi essent Ioannes Marianus[122], Stephanus Tuccius[123], Ioannes de Lugo[124], Ioannes de Ulloa[125], Nicolaus Pallavicinus[126], Ioannes Baptista Tolomeus[127] multique alii quorum

[118] cfr. "Humoristarum Academia, quae in aedibus Mancinianis habebatur A. circiter MDC. virorum doctissimorum eruditis exercitationibus celebris. Concio bis quoquo mense cogebatur: unus Academicorum orationem pro suggestu habebat, recitabant alii Poemata, elucubrationesque alias eruditis auribus dignas. Pingebant Academici sublatam e mari nubem, eamque rorantem, ac pluentem, et aqua, quae ante fuerat amarior, circumscribebat hoc mysticum *Redit agmine dulci*; sic ipsi e communi sorte hominum, tamquam e mari, Academiae beneficio elati, mutasse inscitiae priorem amaritiem in sapientiae dulcedinem innuebant." Ang. Mar. Bandinii *Commentariorum de vita et scriptis I. B. Donii patricii Florentini*, Florentiae 1755, p. XL. vide praeterea Michele Maylender, *Storia delle accademie d'Italia*, Bologna 1930, vol. 5, p. 370 sqq.

[119] cfr. e. g.: "Scelus fuit, Judices, quod non satis jura vindicent, non rerum vocabula satis expediant. Fremuere maria intremuit tellus, abrupit diem refugus Sol; quin ipsa rerum Natura, novitate doloris attonita, antiquum volvit Chaos, et laxatis Elementorum vinculis, domestico plusquam funere impalluit" etc. Antonii Malagonellii *op. cit.*, p. 168.

[120] Giovanni Bona 1609 - 1674.

[121] vide *Opera omnia*, Antverpiae 1739.

[122] Giovanni de Mariana 1536 - 1624.

[123] Stefano Tucci 1540 - 1597.

[124] Giovanni de Lugo 1583 - 1660.

[125] Giovanni de Ulloa 1639 - ca. 1721 - 1725.

[126] Nicola Maria Pallavicino 1621 - 1692.

[127] Giovanni Battista Tolomei 1653 - 1726.

– iniquis spatiis exclusus – ne summos quidem duces enumerare possem: et nondum ab iesuitis[128] discessi.

Cicero omnibus fere Italis ad imitandum propositum exemplar fuit. et optime eum, si quosdam iesuitas excipimus, Iacobus Facciolatus[129] et Paulinus Chelucci a S. Iosepho[130] expresserunt, quos quidem ideo non continuo maximos oratores principesque eloquentiae proclamo. Paulinus concinnior est atque uberior, Facciolatus vero plus impetus atque argutiarum habet. oratio Paulini, gravis copiosa compta neque tamen calamistris inusta, omnibus numeris absoluta esset si magnam illam dicendi facultatem non ad communia et vulgata contulisset neque aures tantum sed animum quoque impleret[131].

[128] iesuitae sunt hi omnes praeter Bonam, et quidem Collegii Romani.

[129] Jacopo Facciolati 1682 - 1769.

[130] Domenico Chelucci (Paolino di San Giuseppe) 1681 - 1754.

[131] cfr. ex oratione, quam *De neglectu literarum humaniorum* dixit: "Mirari plerique solent, quonam improbo literarum fato contigerit, quod, tametsi hoc aevo hominum ingenia nihilo, quam antiquitus, deteriora sint, imo saepe et in multis praestantiora esse videantur; nemo tamen existat, qui cum sapientissimis illis literarum parentibus, qui olim floruerunt, de ingenio doctrinaeque laude contendere audeat. Nonne, inquiunt, in gravioribus magisque arduis disciplinis solertiam veterum ingeniumque aetas nostra non aequavit modo, verum etiam longe lateque superavit? Recentiorem percurrite Philosophiam: quot doctrinae solidioris in ea progressus! quot novae hypotheses, limatiori iudicio elaboratae, validoque rationis et experientiae praesidio communitae! quot naturae reconditioris arcana, quorum caussae omnium opinione difficillimae, imo humano ingenio prorsus imperviae esse censebantur, *instituta* recens *philosophandi ratio* acute penetravit, clarissimeque detexit! Mathematicis vero disciplinis quantum splendoris atque amplitudinis ex singulis fere aetatibus, praesertim vero superiori saeculo accessit? Profecto nulli veterum innotuerat logarithmorum genesis, neque Algebrae speciosae methodus, neque fluida Caelorum natura, aut tricorporea Saturni maiestas, ac sexcenta alia rerum pulcherrimarum inventa, quibus aetas nostra se merito sapientiorem esse gloriatur. Praeterea iuniorum solertia cum rem medicam progressu non poenitendo ampliaverit; cumque rei militaris scientia complures, memoria nostra, inclaruerint duces, qui veterum gloriam fortitudine, consilio rebusque gestis facile superarunt; qua ratione contigerit, esse neminem, qui literarum fama et eruditionis laude antiquitati palmam praeripere audeat; sed satis sibi gloriae ducat, si multo sudore multisque vigiliis eo tandem pervenerit, ut ab antiquorum praestantia

nempe orationum argumenta pleraque sumpsit trita, ut "*De infelicitate illiteratorum*", "*In optimis studiis lente festinandum*", "*De studio poetarum ad literas et eloquentiam necessario*", "*De optimis artibus nobili iuventuti necessariis*". quod vero non mediocris laudis est, si nihil nove aut novata dicendi arte profert, in optima tamen semper causa manet, neque quicquam nisi sanum atque maioribus probatum docet, magna dicendi arte vel putidissima quaeque exhilarans. is igitur mihi auctor in probatis utique numerandus erit. ingéniosior, uti dixi, Facciolatus, sed minus gravis orator[132]; est nihilominus cum Paulino

non longissime abesse videatur? Ego sane fatalem huiusmodi literarum calamitatem duplici caussae potissimum tribuendam esse iudico; et quod studio industriaeque maiorum longe impares sumus, et quod longissime ab optima studiorum ratione recessimus. Cui duplici literarum infortunio, ut tempestive, si fieri possit, occurratur, constitui, hodierno die utrumque oratione persequi, et utrumque ea, qua potero, studiosae iuventuti praecavere." Paulini a S. Iosepho *Orationes XXIII habitae in archigymnasio Romanae Sapientiae.* Praefationem de ingenio oratorio addidit Ioannes Petrus Millerus, Ulmae 1756, p. 8.

132 is cum alia multa diserte tum lepidam quandam orationem scripsit, qua probat *Latinam linguam non ex Grammaticorum libris comparandam* esse. "Quid enim est aliud Grammatice loqui, quam omnino Latine non loqui, si credimus Quintiliano? Nam ut omnia Grammatici vere dicant, utrum aliud efficiunt, nisi ut sine barbarismis, sine soloecismis sit oratio? In quo si tota laus consistit Latinitatis, jam ne ipse quidem Cicero Latinus est, cujus libri, si ad Grammaticorum cavillationes exigantur, soloecismis non carent. Neque vero id ignorant, sed quae in aliis magnopere damnant, haec in Cicerone, mutato nomine, figuras | appellant, et veluti lumina variandae orationi accommodata valde commendant. Nituntur enim omnes Latinum sermonem certis complecti legibus, quibus deinde contraria multa apud Latinos Auctores cum inveniant, ad schemata, metaplasmos, antiptoses, archaismos, hellenismos, et id genus alia magnifica figurarum nomina confugiunt, quorum ope non quidem eorum famam tueantur, qui sine piaculo reprehendi non possunt, sed nobis illudant, ne Grammaticae praecepta cum illis ipsis pugnare Scriptoribus, unde sumuntur, intellegamus." Jacobi Facciolati *Orationes et alia ad dicendi artem pertinentia,* Lipsiae 1751, p. 7 sq.

in numero primariorum auctorum referendus. inter minores referendus est Iosephus Rinaldus[133], concinnae ubertatis sectator.

Forcellinus[134] cum doctrina omnibus fere Italis praestaret, eloquentiam exercere noluit. sed omnibus Facciolati et Paulini orationibus vox illa simplex et ingenua videtur mihi eloquentior: "adolescens manum admovi, senex, dum perficerem, factus sum, ut videtis."[135]

[133] Giuseppe Rinaldi 1697 - 1755. cfr. "Nolo, Auditores, qui color, qui flosculi, quae pigmenta in Oratore probantur, eadem a Dialectico, a Theologo, a Jurisperito, a Philosopho postulari. Hoc vero cur ego non postulem, atque adeo summo jure non flagitem, ut, sive disputent privatim in schola, sive ex umbratili exercitatione educantur in pulverem, semper illorum oratio, quasi veste detracta, tamen in sua illa simplicitate venusta sit, nitida, casta, incorrupta, perspicuis verbis, propriis, usitatis, latinis, ut illae rerum imagines, quas animus jam effinxerit, tamquam bene pictae tabulae bono in lumine collocentur? Hoc enimvero illud est, quod majestatem sustentat magnarum artium; qui vero eas profitentur, tantam iis gratiam admirationemque conciliat, ut cum auditum sit eorum aliquem esse dicturum, concursus ex tota urbe fiant, occupentur subsellia, locus in iis impleatur, factoque silentio, erigantur auditorum animi, et crebris assensionibus a corona significetur, non barbarum hominem esse in exhedra, sed latinum. Abiit enim | illa aetas, cum venia dabatur inconcinnitati verborum, et ferebantur animo non irato ingeniosi quidem homines, sed inculti, qui ad augendam veterem Scholasticorum barbariem nova quaedam vocabula a consuetudine Romanorum valde abhorrentia effinxerunt. Nefas hoc quidem tempore tale quiddam aequis auribus pati; nec, ut initio dicebam, ulla unquam fuit instauratae Latinitatis felicior aetas, quam nostra, quae judicat tam diligenter de elegantia sermonis, ut a nemine eam sinat, non modo si Orator, sed etiam si Scholasticus sit, impune contemni." *De Lingua Latina. Oratio I.* in: *Orationum* Josephi Rinaldi in Seminario Patavino studiorum praefecti altera editio. *His accedunt ejusdem Orationes Posthumae,* Patavii 1757, p. 17 sq.

[134] Egidio Forcellini 1688 - 1768.

[135] in praefatione *Lexici totius Latinitatis* ab Aegidio Forcellini Seminarii Patavini alumno lucubrati ..., Patavii 1940, vol. 1, p. XLI. cfr. praeterea: "A' 9 di aprile del 1755, come raccogliesi dai brevissimi cenni premessi, aveva pur anco finito questa seconda fatica del ripassarlo, ond'è che prorompeva l'ottimo sacerdote in quelle commoventi parole: "A quest'opera posi mano da giovane e nel ridurla a compimento sono divenuto vecchio siccome vedete." Parole queste che, nello scorrergli della penna, gli saran risuonate con mesto e soave affetto nel cuore." Jacopo Bernardi, *Biografia di E. Forcellini,* in: *Lettere* di Egidio Forcellini al fratello Marco ..., Padova 1876, p. 21.

non mediocrem purae orationis laudem assequitur Ioannes Antonius Vulpius[136], multiplicis doctrinae vir (nam et physicam et philosophiam et litteras latinas tractavit), cui ne florida quidem verborum copia defuit[137], habet tamen nescio quid vapidi. est bonus potius quam

[136] Giovanni Antonio Volpi 1686 - 1766.

[137] cfr. e. g.: "Miram sane rem! homines qui unam veritatem a se coli atque aestimari affirment, in eo ridiculo mendacio deprehendi, ut cum Latinum aliquid protulisse videri volunt, id neque Latinum sit, neque vernaculum, sed cinnus quidam, et farrago, et satura, perinde ac si multa jura confundat coquus. Ne igitur in hanc foveam incidamus, ne hoc luto inquinemur, non est nobis longe ab Italia discedendum. Latina lingua vetus possessio nostra est: huic toto animo incumbemus. Laudemus Gallicam linguam, laudemus Anglicam: elegantes illas quidem et urbanas, utiles etiam interdum atque eruditas: Latinam colamus; quae doctorum omnium communis est, et quamdiu retinebitur, tamdiu barbariem ab Italia propulsabit." Joannis Antonii Vulpii *Oratio Habita in gymnasio Patavino, Cum a tractanda Philosophia ad Politiorem Humanitatem exponendam translatus esset*, Patavii 1737, p. XVIII.

"Longe autem distat nitidum a fucato. Quemadmodum enim saltant matronae, saltant et meretrices; matronalis tamen saltatio differt a meretricia saltatione: nam et Africanus ille major triumphale corpus movit ad numeros, neque tamen dignitatem amisit: eodem pacto a verborum sordibus possumus in oratione abstinere, et nihilominus ejus castitatem, ut ita loquar, integram et incorruptam servare. Proprietas vero ac nitor verborum pertinet primum ad veritatem: deinde ad intelligentiam. Nam qui profitetur, se Latine locuturum aut scripturum, is ne falsus deprehendatur, non debet certe Gothicas, vel Sarmaticas, vel belluarum potius quam hominum voces usurpare. Quomodo autem scire poterunt juvenes, quid unaquaeque vox a magistro prolata significet, nisi magister eas voces adhibeat quae a probatis scri|ptoribus olim receptae sunt, atque usu tritae? Iccirco verba obscurae, vagae, incertae significationis procul abjicere oportet. Definitis porro et perspicuis utendum est. Bonae enim rerum definitiones a rectis verborum definitionibus pendere solent. Confugiendum igitur ad Lexica, sed multo magis ad classicos Latinitatis auctores, ut inde veram et legitimam verborum significationem hauriamus: neque grammaticorum labores contemnendi sunt: quum turpe omnino ac ridiculum sit, eum qui grammaticam vix a limine salutaverit, illotis manibus ad rerum sublimium tractationem accedere." *Oratio secunda Pro litteris humanioribus adversus earum contemtores* in: Joannis Antonii Vulpii *Liber de utilitate poetices. Adduntur in calce orationes tres Pro litteris humanioribus adversus earum contemtores*, Patavii 1743, p. 290 sq.

istud singulari sane sententiâ: "Tunc nuptiis legitima aetas praefinita, ne adolescentes, antequam ipsi corporis maturitatem adepti essent, de uxore ducenda cogitarent; neve puellae nondum adultae matresfamilias fieri cuperent: quod nisi legibus cautum foret, procliviores homines

conspicuus auctor, et melior poeta quam orator. eodem tempore non defuere Italis et alii aeque vel aliquanto minus boni, quos omnes dicendo persequi supersedeo. Ioannis Olivae[138] siccam atque parum latinam dictionem in transcursu saltem, propter rei quam tractavit nobilitatem memoraverim[139].

vividi ingenii neque tamen minoris doctrinae vir fuit Alexius Symmachus Mazochius[140] Neapolitanus[141]; cuius duae tantum orationes extant[142], quae ne Ferrario quidem indignae essent, quin etiam

ad concubitum evaderent, cui nimis tempori assuevissent, infirmioresque liberos ex se procrearent." *Oratio habita in gymnasio Patavino, Cum ad Physicam publice tradendam aggrederetur,* in: *Opere varie volgari, e latine* del Signor Giovann'Antonio Volpi, Padova 1735, p. 201.

[138] Giovanni Oliva 1711 - 1757.

[139] cfr. e. g.: "Neque vero est quod obiiciatis inscripta saxa ad haec studiosos brevius tamquam manu deducere. Marmora enim ac statuas ad haec conferre multum posse, haud repugno: propius tamen ad veritatem quam nummos adiungi, tutiusque docere, illud constanter repugno. Quocirca necessitatem quandam vetera legentibus impositam existimo, ut numismatum usum cum historia coniunctissimum esse debere arbitrentur, cum haec illinc splendorem, ac velut quibus se ipsa tueantur, firmamenta, atque incrementa mutuentur. Altera quidem certe alterius cognitio eget, et quaeque alterius adiumentis sustinetur, nisi si quid maius nummis est tribuendum, qui, ut tradit Polyhistor eruditissimus, *interdum plus loquuntur, quam ipsi auctores.* Quare numquam satis multa erit atque magna facultas hominum eloquentissimorum in nominibus virorum Prin|cipum honorifice appellandis, qui nummorum collectiones cum summa dignitate fascibusque coniungunt." Ioannis Olivae Rhodigini *ad Cives Acelanos de Nummorum veterum cognitione cum historia iungenda. Cum studia altero anno repeteret,* in: *Clarissimorum virorum orationes selectae,* collegit Io. Erhardus Kappius, Lipsiae 1722, p. 569 sq.

[140] Alessio Simmaco Mazzocchi 1684 - 1771. cfr. R. De Maio, *Alessio Simmaco Mazzocchi e la filologia del Settecento,* in: "Critica storica" N. S. 10 (1973), p. 1 - 9.

[141] factus est Neapolitanus; natus autem altero fere a nova Capua miliario, qua ad Orientem spectat, ad veteris Capuae ruinas in pago cui nomen *Santa Maria.*

[142] prima *In funere Nicolai Card. Caraccioli* (Alexii Symmachi Mazochii *Opuscula,* Neapoli 1771, vol. 1, p. 5 sqq.), altera *In funere Clementis XII. Pontificis Maximi* (habita Neapoli anno 1740), ib. p. 16 sqq., cfr. inde: "Viri ut Apostolici ad Indos, et ultimos terrarum Seres (et quo non?) mitterentur, nervos omnes intendisti; ejusque rei gratia Propagandae Fidei Collegio plus vicies sestertium dono dedisti. Coptos, Aethiopes, Melchitas Monachos paterna caritate excepisti; ac,

maiorem vim atque amaritudinem prae se ferunt. in epistulis latina lingua conscriptis optimus mihi, certe humanissimus[143] omnium quotquot saeculo XVIII Italia aluit latinitatis auctorum fuisse videtur. Mazochio non indignam in funere Mariae Amaliae Walburgae Hispaniarum reginae orationem Nicolaus Ignarra[144] conscripsit, homo

ne Romae Thebaidem quisquam, aut Nitriam desideraret, aedes eisdem, et lautia in perpetuum praebuisti. Syrophoenicem universam, quum a patriae disciplinae descivisset, misso illuc viro et Orientalis litteraturae, et sacrae antiquitatis callentissimo, summa cum potestate extra ordinem legato, perque hunc coacto Beryti nationis concilio, in officio continuisti. Iam vero haec, atque plura alienissimo ac difficillimo reip. tempore, armis undique in Europa, in Italia, in ipso Pontificio regno perstrepentibus, Clemens, fecisti; quid porro facturus, si pax alma citius os suum terris exseruisset? te interim maximo semper apud Catholicos Principes pacis auctore, cohortatore, ac sequestro; cujus consilia nunquam aliud | nisi pacem, nisi pacis artes spectarunt. Nam pacis alumnas litteras quantopere foveris, juveris, ornaveris, et longum sit enarrare; et me tacente, complures academiae, quae vel auctore te, vel sodali gloriantur; immensa operum volumina, suasore te, et sub tuis auspiciis evulgata; typographia Vaticana ad Orientalium librorum editionem a te maximis auctoribus amplificata; universi litterarum cultores sub te tum Cardinale, tum Pont. Max. tanquam sub Maecenate altero; spiritum ducentes [hoc minus assequor, nam "spiritum ducere" usitatius dicitur pro "aegre respirare", cfr. OLD s. v. "duco" 22] testificantur. Quid architectonice? Quid statuaria, et pictura? Quid tesselata opera illa, nunc quum maxime perquam scitissime picturata? Quid tot aliae artes pulcherrimae? nonne summopere a te promotae omnes, ac multis partibus illustriores effectae, quam eas accepisses? Quid chalcographia? quanti hoc tibi stetit, ut diu intermortuam, populo Quiritium sisteres redivivam?" p. 25 sq.

[143] Iacobo Rufo amico suo epistolium facetum misit, hoc exemplo: "Euge, scite, pulchre: nihil supra: παράδοξος. Quid quaeris? Conturbasti Ciceronianam omnem nationem styli tui dulcedine. Quem probe ulciscerer, nisi parata jam mensa exspectaret, nec fas mihi esset latrantem stomachum aliter compescere, quam oblata justi prandii offa. Verum de his alias: mitto quae petis. Nec de remittendis cogita. Vale, meum delicium." (Alexii Symmachi Mazochii, *op. cit.*, vol. 1, p. 141). huic iungatur et altera, Plinianae suavitatis plena epistula ad eundem Rufum: "Nunquamne prandebis mecum? crasne, an perendie? an ad Kalendas Graecas? Leonardum mihi mittas velim, illum dico Nardum puerulum tuum; sed hora ejusmodi, qua domi sim. Salvebis a Philippo, qui de te multa conqueritur. Vale. Ago gratias pro eo ac debeo. Ede ubi consistas, in qua te quaero Proseucha? Nam Sinas usque proficisci, terrestri praesertim itinere quî possum? Si mari licet, nae ego facerem. Ἔρρωσο, καὶ παχύνθητι." ib. p. 144.

[144] Niccolò Ignarra 1728 - 1797.

graecis imprimis litteris haud mediocriter instructus, quem Mazochius studiorum suorum socium adsciverat. is vitam Mazochii conscripsit, dignam quae a litterarum curiosis assidue legatur[145]. magnus est de laudibus Neapolitanorum discurrendi campus, praesertim si de eis qui illuministae vocantur sermo instituatur, sed cum non philosophorum sed oratoriae virtutes nobis ante omnia expendendae atque seligendae sint, eloquentiam eorum, si non angustis, certis tamen, quos non excedat, terminis definire possumus. duae tantum, uti dixi, latinae orationes Mazochii feruntur, auctoris indefessae cuiusdam scriptionis. unam solam Ignarrae, qui alioqui et inter πολυγράφους existimari potest, supra laudavimus. unam tantum nobis

[145] cfr. e. g.: "Namque senex per totum triennium constanti intemperie vexatus expugnari nequiit, ut cubitum concedens, vestimenta deponeret: quae tamen sibi | interdiu mutari, non valde repugnabat. Lavari, aut barbam radi, aegerrime ferebat, nimiam culturam corporis Ecclesiastico praesertim seni, indignam esse praetendens. Semel atque iterum cochleari colligens carbunculos accensos, veluti quid esculentum, igne jam mitigatum, in buccam, nisi fuisset opportune deterritus, injecisset. Magnum sane imbecillitatis humanae in homine praestantissimo documentum. Hac tamen capitis destitutione laboranti non raro antiqua virtus rediit; et dicta aut responsa ab eo sunt prolata sapienter. Cum stulte a quodam beatus ex eo praedicaretur, quod ei, lectulo in bibliotheca strato, mediis libris indormire liceret: *Atqui beatus ille est*, respondit, *qui libris advigilat, non qui indormit*. Et cum aliquando tremor manibus incidisset; in eas titubantes animadvertens, *Eja, quiescite jam*, dixit, *satis adlaborastis*." *Alexii Symmachi Mazochii vita*, cap. XVIII: in Nicolai Ignarrae *Opuscula*, Neapoli 1807, p. 185 sq. orationem in funere Mariae Amaliae ibidem p. 135 - 152 invenies.

Franciscus Marius Paganus[146] reliquit[147], vir ut ingenio clarus ita vita clarissimus ut qui pro re publica mortem oppetere non dubitaverit; quam quidem orationem cum propter rerum copiam copiosamque verborum supellectilem tum propter descriptionum divitem satis venam dignam esse puto quae legatur; moverat mihi autem, priusquam reperire illam daretur, desiderium eius iam antea virilis venustatis

[146] Francesco Mario Pagano 1748 - 1799.

[147] quae inscribitur Francisci Marii Pagani *Oratio ad comitem Alexium Orlow virum immortalem victrici Moschorum classi in expeditione in Mediterraneum mare summo cum imperio praefectum* [Neapoli 1771]: "<···> Graecia totius Orbis ocellus, quae quondam universorum oculos in se convertit, nunc heu quam indigno rerum fato Thracia feritate oppressa, barbariae horrore circumfusa et penitus obumbrata est! At ea fati vis est, quae omnia torrentis instar rapit, atque alio convertit. Contra vero fortissima Moschorum Gens, quamquam semper armorum gloria florentissima, tamen caeli asperitate paulo ferocior, ita exculta, atque perpolita nunc est, ut ipsis quondam humanissimis gentibus admirationi, et invidiae sit. Quodque mirabilius est, consuetasque naturae vires pene exsuperat, Gentes fere omnes lento prorsus progressu, multisque seculorum intervallis a barbarie ad humanitatem tandem pervenerunt; invictissima vero Moschorum Gens extemplo, paucisque ferme annis ad tantam humanitatis gloriam convolavit. Ea namque fuit divina, indicibilisque unius Viri Magni Petri virtus, ut tantum opus sine ullo veterum exemplo excogitaret, vellet, perficeret. Quod excogitasse solum satis magni, audacissimique animi argumentum foret, id Deus ille Princeps qua|li facilitate explevit?" p. VIII sq. de navium incendio: "Quisnam Turcarum classem igne deleri sibi persuasisset? Quaenam tanta esset lignorum copia? Ardebant fortasse ipsae maris undae. Aer flammis incensus esse videbatur; nocturnaeque tenebrae luce, sed teterrima illa, et subnigra expellebantur. Ignis tenebris, tenebrae igni horrorem addebant. Miseri misere pereuntium fletus, perfractaeque voces, ululatus, preces in caelum frustra fusae fortiores animos timore, pietate atque horrore perfundebant. Naves igne incen|sae concrepabant, scindebanturque. Huc una navis pars, huc alia cadebat semiusta. Hic ille vir in cinerem evanescebat: alius cum nave in undas praecipitabat: alius vero ignem effugiens se in aquas conjiciebat. Capita, et brachia cum globis ignis, et fumi nubibus, incensisque lignorum frustis per aerem volabant. Omnia horrore, miseria, morte replebantur. Ipse Alexius pietate ingemiscebat: atque nox, quae augebat horrorem, longior esse videbatur." p. XI sq. Pagani opera debeo munificentiae Gerardi Marotta Neapolitani, viri nobilissimi atque eruditissimi. de hac oratione vide Gioele Solari, *Studi su Francesco Mario Pagano*, Torino 1963, p. 38 sq.; 362 sq.

sermo, quo in *Politico* usus est, cum esset iuvenis vix viginti annorum[148]. plures quidem Ioannis Baptistae Vici[149] orationes sunt, quem ut philosophum, inter philosophos infra referam.

[148] vide quomodo vitia Neapolitanorum taxet: "Ego vero nostrorum temporum vices atque fata sedulo expendens, tribus de causis mores pendere, mutari, regi existimo: nostrorum Regum aula, Theatris, exterorum commercio. Ac revera in nostro Neapolitano | Regno cum sceptrum Gallus tenuit, Gallorum; cum Germanus, Germanorum; cum Hispanus, Hispanorum mores universa imitabatur suscipiebatque civitas. Ad Regis enim exemplum totus orbis componitur. Jam vero Theatra nobilitatis, totiusque populi schola ac Gymnasia apud nos sunt; e quibus indocta multitudo eruditur, moresque suos desumit. Nemo porro denegabit musicam etiam plurimum apud nos ad effingendos mores conferre: quae triplex est: vel enim in Theatris, vel in sacris Templis, vel in privatis parietibus, sive Academiis tractatur. Quae in Academiis agitur, Theatrali similis: eadem enim oratio musicis modis subjecta est, quae in Theatris: sacra vero musica nil aliud peculiarius habet; quam, quod sacra verba occinuntur. Cum autem Theatra et vitiorum et ineptiarum sint scholae; musica vero tam mollis ac corrupta; quinam nobilium, infimaeque plebis, quae non in aliis Gymnasiis, quam in Theatris, ut diximus, eruditur, mores esse debeant? <·· | ··> Atque nos iniqua rerum sorte eo devenimus, ut Gallorum, ceterorumque exterorum simiae simus: quamobrem et Italica nostra Poesis post Graeciam prima, quaeque Latinae majestate, atque virili venustate nihil cedit, simul cum robusta illa, seria, sobriaque cogitandi ratione tum ex Gallicae linguae imitatione, tum ex aliorum gentium scriptorum lectione corrupta jam ac penitus pessumdata est, qui inverisimilibus rerum portentis delirae imaginationi tantum gratis, vel fucato, fractoque cogitandi genere Gothicae Architecturae quam simillimo, quae in tot tamque minutas parvasque partes dissecta est, ut nihil integrum, sanum sobriumque habeat; sibi nomen quaesiverunt." Francisci Marii Pagani Burgentini *Politicum universae Romanorum Nomothesiae examen libro singulari in treis parteis diviso comprehensum.* Neapoli 1768, p. 127 - 129. hoc Pagani opus curis Aloisii Miraglia meisque prelo mandabitur hoc ipso, uti spero, anno (Neapoli). ceterum de vitiis Neapolitanorum egit J. Buehel, *Proverbium Italorum: Regnum Neapolitanorum Paradisus est, sed a diabolis habitatus,* [Altdorf] 1707, cfr. B. Croce, *Il "paradiso abitato da diavoli"*, in *Uomini e cose della vecchia Italia,* Bari, 1956^{3} et *Discorso sopra il vero fine delle lettere e delle scienze,* in: Antonio Genovesi, *Scritti* a cura di Franco Venturi, Torino 1977, p. 60 sq. et adn.

[149] Giambattista Vico 1668 - 1744.

infiniti operis erit omnes alicuius pretii Neapolitanos oratores censura prosequi[150]. quosdam legi, et consultus sileo. Ianuarius[151] omnium mihi iurisconsultorum videtur disertissimus[152]. Ioannis Antonii

[150] si quis orationes latinas a. 1818 - 1848 in Regio Archigymnasio Neapolitano habitas inspicere velit, eat Neapolim et adeat volumen satis amplum, quod eodem operculo plures libellos complectitur (Biblioteca Nazionale: *Sala 6. Misc. C 193*). quasdam orationes, quae ibi desunt, invenies in libro q. i. *Orationes in sollemni studiorum instauratione a professoribus in aedibus Regii Gymnasii Neapolitani Habitae,* Neapoli 1823 (Bibl. Nazionale: 162 C 33).

quaedam saec. XVII (usque ad annum 1638) orationes asservantur ibidem in libro manu scripto (IX G 21) cuius inscriptio haec est: *Orationum inauguralium collectio habitarum Neapoli in solemni studiorum instauratione.*

saeculi XVI orationes vide ibidem in codd.: V H 187 (*Orationum collectio quae publice habitae sunt in Neapolitano Collegio* = an. 1573; 330 foll.); IX F 44 (*Orationum et Carminum collectio.* fin.: "Dixi 1602"); IX F 49 (*Orationes variae, et Epistolae*).

[151] Giuseppe Aurelio Di Gennaro 1701 - 1761.

[152] cfr. de condicione aevi renascentis: "Felicissima postea tempestate, sublato barbariae velo, politioribus litteris postliminio restitutis, accensa historiae face, et communi plausu exceptis Graecae et Latinae linguae deliciis; quando e squalido luridoque, quem prius induerat, augustiorem habitum, ac matronalem formam accepit Sapientia; Feudalis quoque Jurisprudentiae fatum, non levi, qua involvebatur, fugata caligine, novam | purioremque lucem explicavit et decentiori vultu in medium prodiit." Josephi Aurelii de Januario regii consiliarii Juris Feudalis antecessoris *De Jure feudali oratio* In Publico Neapolitano Lyceo habita VI Idus Januarias Ann. 1754, [Neapoli 1754], p. XXXIII sq.

de medio aevo: "Decessit quidem nitor ille ac elegantia, qua suo decorata lumine effulsit Sapientia; sed non elanguit omnino: immo robustior potius sub duro cortice latuit, | et majorem vim pallido quodam aspectu explicare visa est; ita sane, ut quod venustati detraxit corrpetus ad eruditionem palatus, addiderit solidae doctrinae inclinata ad severitatem industria. Quamobrem illud verum non est, inventionis laudem unice veteribus datam, posteris solam imitandi facultatem. Sua non defuit singulis tempestatibus, non sine plausu recepta, novarum rerum excogitatio: nec semper animos torquet ac dilaniat praeteritorum temporum invidia; cum illos foveat quandoque extollatque recens repertarum utilitatum felix superbia. Itaque consepulta Orientalium potentia, in solitudinem versa Graecorum tellure, deleta Romani imperii majestate, et veluti | mutata totius Mundi facie; novae inventae cogitandi imagines, novae constitutae vivendi regulae; quas, ad externas repellendas injurias, ad internam fovendam pacem, in tutelam suam tot regna ac provinciae susceperunt: iis praecipue saeculis, cum populi, rusticitate morum potius, quam commercii et societatis." jure cogniti, e patriis sedibus emersi, aliisque quaerendis dominis accensi, arma victricesque copias, per Italiam praesertim, hoc nempe amoenissimum voluptatis ac abundantiae domicilium, circumtulerunt." ib. p. III - V.

ulteriora v. in APPEND. VI.

Sergii[153] sermo latinus a Bruckero laudatur[154]; scripsit autem ut alia multa tum et opusculum q. i. *De eloquentia per academicas exercitationes comparanda oratio*[155], quod ne in Bibliotheca quidem Publica Neapolitana invenire potui. vano tantum verborum strepitu oppletae sunt orationes Caroli Maielli[156], quem quidem merito silentio paene praeterii nisi aliter quondam Neapolitanis visum esset.

sed quo pacto te, iucundissime abba Ferdinande Galiani[157], silere queam? tu, ex disciplina Mazochii[158], Parisiis in ipso oculo mundi latinissimus extitisti[159], elegantiarum arbiter maximus[160], francogallicae linguae mirabilis artifex, atque latini eloquii facile princeps si hanc quoque palmam ingenii tui laudibus addere voluisses. nam et pauca

[153] Giovanni Antonio Sergio 1705 - 1766, iureconsultus.

[154] Jacobus Bruckerus, *Pinacotheca scriptorum nostra aetate illustrium* ..., Augustae Vindelicorum 1752, vol. 2 (decas 9), f. 20^{v}.

[155] Neapoli 1749 (Bruckerus, op. cit, f. 21^{v}).

[156] Carlo Maiello 1665 - 1738. operum eius plurimae editiones extant, quarum ultima Neapoli a. 1851 excussa: *Institutiones oratoriae quibus accedunt* Caroli Majelli *selectae orationes ad usum seminarii neapolitani. Editio novissima diligenter emendata* [ibi (p. 147 - 203) quoque *Institutionum poeticarum libri tres*].

[157] Ferdinando Galiani 1728 - 1787.

[158] cfr. L'abbé F. Galiani. *Correspondance ... par* L. Perey, G. Maugras, Paris 1881, vol. 1, p. XIV.

[159] Fridericus Melchior Grimm, vir subtilis iudicii, in epistula quadam ad Joannem Augustum Ernesti data Ferdinandum Galiani, omnium quos in Francogallia eruditorum cognovisset, linguae Latinae peritissimum fuisse praedicavit: "Je n'ai jamais rencontré à Paris qu'un seul homme qui sût le latin, et cet homme est un Italien, M. l'abbé Galiani" M. Grimm, *Correspondance littéraire* <···>, ed. M. Tourneux, Paris 1879, vol. 8, p. 150.

[160] neque ab re alienum erit Friderici Nietzsche de Ferdinando Galiani iudicium proferre: "<···> wie bei dem Abbé Galiani, dem tiefsten, scharfsichtigsten und vielleicht auch schmutzigsten [hic, Friderice, falleris, grato tamen tibi errore] Menschen seines Jahrhunderts – er war viel tiefer als Voltaire und folglich auch ein gut Theil schweigsamer." Nietzsches Werke, *Kritische Gesamtausgabe.* Hrsg. G. Colli, M. Montanari, Berlin 1968, pars 6, vol. 2, p. 41; et alio loco Ferdinandum illum virum qua animi nobilitate qua ingenii subtilitate praestantissimum affirmare non dubitavit, cfr. "<···> dieser verwöhnteste und raffinirteste Geist des vorigen Jahrhunderts" F. Nietzsche, *Sämtliche Briefe*, München 1986, vol. 8, p. 190.

illa quae latino sermone condidisti[161] – quid maius dicere potui? – latina sunt.

Angelus quidem Maius[162] propter aetatis rationem in hoc album recipi nequit neque orator fuit valde bonus, at horam illam immortalem ut primum intellexit se Ciceronis quaedam nemini adhuc nota orationum fragmenta ante oculos habere, quibus verbis memoriae prodididerit, cum sint facundissima, silentio praeterire non possum: "In his igitur Codicibus, qui Bobienses inscribuntur, unum deprehendi, in quo Sedulii christiani poetae opera edita continentur, quem cum acutissima oculorum acie lustrarem, et sub posteriore scriptura priorem rimarer; o Deus immortalis, repente clamorem sustuli, quid demum video! En Ciceronem, en lumen romanae facundiae indignissimis tenebris circumseptum! Agnosco deperditas Tullii orationes, sentio ejus eloquentiam ex his latebris divina | quadam vi fluere, abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis."[163] etc.

post tanta magnorum virorum nomina quid me miserae eruditorum plebi immisceam? etenim multi mihi occurrunt qui multa scripserunt atque publice pronuntiarunt, cum melius tacuissent. Benedicto Averanio[164], cuius permultae dissertationes, orationes, carmina, nec non epistulae familiares extant[165], nemo laboriosior, nemo putidior[166]: sed suo saeculo magnus vir habebatur. quid de orationibus confusis istius atque perturbatis dicam, nullo, nisi valde fallor, prorsus consilio

161 inscriptiones latinas ab eo conscriptas dicit. cfr. Oleg Nikitinski in: *Vox Latina*, t. 33, fasc. 130, p. 556.

162 Angelo Mai 1782 - 1854.

163 M. Tullii Ciceronis *trium orationum pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco partes ineditae cum antiquo scholiaste item inedito ad orationem pro Scauro* invenit recensuit notis illustravit Angelus Maius, Francofurti ad Moenum 1815, p. XI sq.

164 Benedetto Averani 1645 - 1707.

165 *Opera*, Florentiae 1717, 3 voll.

166 cfr. "<···> Averani y [sc. in orationibus] a trop imité les anciens Orateurs, en ce qu'ils n'observent point assez de méthode, ce qui rend leurs discours obscurs, et ne manque pas de fatiguer les Lecteurs qui tâchent de retenir la suite de leurs raisonnements." [Jean-Pierre Nicéron,] *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres*, Paris 1729, t. 2, p. 204.

consarcinatis, adeoque sine ullis graviter dictis vel saltem aculeatis sententiis quae in auditorum mentibus haereant, ut neque quid dicat intelligas neque quid legeris recorderis? is igitur scriptor omnino non est ferendus. at venustis sententiolis vibrantibusque dictabolariis Francisci Carettonii atque Guinisii[167] per animi remissionem ludumque delectari soleo. quidni delecter? et pessimi auctores, cum semel improbitatis modum vel communem stultitiae mediocritatem excesserint aut quasi aliena loquantur, ad animum exhilarandum non nihil valent. sed ut ad rem revertar, dignum sane Averanio academia Pisana successorem Politum[168] habuit, dicendi quidem volubilitate illo aliquanto superiorem[169], mentis inopia parem.

[167] de his v. infra p. 74 et 104 sq.

[168] Alessandro Politi 1679 - 1752.

[169] cfr. sub finem orationis octavae quae est *De lectionis assiduitate*: "O hanc praeclaram, adolescentes, o hanc regiam et directam, et apertam viam doctrinarum, atque eloquentiae! O vos de litterarum studiis, de patria, de vobis ipsis optime meritos, si viam hanc instituteritis, si nempe, posteaquam praeceptores hos vestros, viros doctissimos atque sapientissimos quam diligentissime audivistis, iisque ducibus et magi|stris ad reconditas quasque et exquisitas doctrinas percipiendas usi fuistis, nihilque omnino praetermisistis, quominus eorundem praeceptorum vestrorum doctrinam atque eloquentiam imitando ipsimet in vobis effingeretis, tum demum, ad scientiam atque eloquentiam augendam, totos vos bonis cujuscunque generis libris legendis penitus dedatis, itaque discipuli quodammodo efficiamini veterum illorum doctissimorumque scriptorum, a quibus plane ad praceptores ipsos vestros omnis doctrina atque eloquentia profluit. Amate igitur libros, si vere sapientiam atque eloquentiam amatis, optimi adolescentes. Non vos a libris otium, aut somnus, aut voluptates, aut festi ludorum dies, aut denique amicorum consuetudines atque familiaritates abstrahant. Libri studia vestra atque ingenium alant. Libri vos oblectent atque ornent. Libri vobiscum pernoctent, vobiscum peregrinentur, vobiscum rusticentur. Illud denique vobis sit penitus persuasum, summam vos rerum omnium praeclarissimarum scientiam, summamque eloquentiam adepturos esse, si, quo doctissimi quique viri, ipsique praeceptores vestri, eo et vos bonis multisque libris assidue accurateque lectitandis contendatis, ac tandem adspiretis, ut, propter magnam antiquitatis totius omniumque rerum haustam e libris eruditionem, bibliothecae quaedam animatae esse videamini." Alexandri Politi de cl. Reg. Scholarum Piarum et in Academia Pisana humaniorum litterarum celeberrimi professoris *Orationes omnes nunc primum in unum volumen collectae*, Florentiae 1772, p. 162 sq.

M. – quoniam te, Italorum messe in horreum acta, spicas remissiore iam animo legere tricasque curare video, perquam ex te velim scire, quid sit, cur apud Italos potissimum, in gente facundissima, latine loquendi facultas raro admodum observetur; ita ut in scriptis facundissimus quisque, in sermone extemporaneo elinguis videatur: ceterum scio te magni extemporalem latine loquendi facultatem aestimare.

S. – quippe, artem nostram quam a pueris exercemus, non puto esse balborum.

M. – atqui multos qui hanc artem exercent, non modo eloquentes sed vix latine loquentes videas. etenim quid grammaticae cum eloquentia? de balbis istis, quos dicis, video nonnullos qui et criticae honestatem tuentur et in scriptis vel eloquentissimi sunt. neque tu eo insaniae venisti, ut a philologis oratorias virtutes exigeres, cum constet, et Ruhnkenio tuo, quem laudibus efferre soles, quotiescumque non ex praeparato loquebatur, vim eloquentiae defuisse[170]; et contra, Valkenarius[171], ὁ ἑλληνικώτατος, in scriptis quidem aridior fuit, cum autem ex tempore disserebat, animi audientium divino quodam afflatu incendebantur[172]. atque omnino plerique eorum, qui saec. XVIII optime latine loquebantur, scriptis suis latinis non admodum claruere.

S. – sit sane uti dicis. concinna ista extemporalis oratio non expetatur: satis est, si satis latine scribimus, si apparati eloquenter

[170] scilicet nolebat temere se extemporali consuetudini committere, timens "ne quid vitiosi traheret. Meminerat illud Thucydidis: *peritia timorem, imperitia audaciam facit* [ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. Thucyd. 2, 40, 3]; meminerat homines Latine doctissimos ex tempore disserentes haesitare subinde ac subsistere, quod nomen verbumve sibi probatum non succurreret; meminerat etiam imperitos audacter se in extemporale flumen coniicientes, lutulentos quidem barbariei et inficetiarum sordibus fluere [cfr. Hor. sat. 1, 4, 11], sed fluere tamen magno et suo cum strepitu et audientium plausu." *Vita Davidis Ruhnkenii auctore* Daniele Wyttenbachio, Lugduni Batavorum 1799, p. 75.

[171] Lodewijk Kasper Valckenaer 1715 - 1785.

[172] cfr. *Vita Davidis Ruhnkenii* op. cit., p. 138 sq.

contionamur, si ex tempore convenienter respondemus. neque id ab omnibus expectandum: eos excipiam qui cum minutiis animum circumscripserint, ad altiora non aspirant. non hercle male grammatici plerique, qui tutius agere malunt, atque rebus investigandis contenti, omnem orationis curam exuerunt. quod autem ad latine loquendi facultatem attinet, eam non multum ad stili ornatum conferre fateamur necesse est, cum in colloquiis neglegentiores fere simus. quare inique faciunt, qui quantum quisque in latinitate valeat, in colloquiis, tamquam ad Lydium lapidem, tentandum esse arbitrantur, et si forte minus apte locutus sis, obtorto collo velut in triumpho ducunt. di meliora. atqui sunt maximi latinitatis vindices, ut Carolus Sigonius[173], Paulus Manutius[174] et Guilelmus Budaeus[175], qui

[173] *Mémoires de la vie de* Jacques Auguste de Thou, Amsterdam 1714, p. 30 (veniam peto editioni qua usus sum, archetypa editio non erat ad manum).

[174] "Manucius [sic] non poterat tria verba Latine dicere, et bene scribebat; ut Hispani raro Latine loquuntur." *Scaligerana*, Cologne 1695, p. 254.

[175] cfr. Danielis Friderici Iani *De doctoribus umbraticis eorumque variis incommodis in republica litteraria commentarius. Accedit eiusdem dissertatio Lipsiensis de nimio latinitatis studio*, Vitembergae 1720, p. 135 (ceterum simile opus iam antea scripsit Christianus Uhlich, *Dissertatio philologico-historica de nimio latinitatis studio*, Lipsiae 1712). ibidem Ianus, nescio qua fide, affirmat Fracastorium, Rigaltium, Salmasium, Iosephum Scaligerum, Augustum Buchnerum quin etiam Thuanum ipsum in conversatione eruditorum aegre admodum latine locutos. sed quoniam *Dissertationis de nimio latinitatis studio* mentio facta est, non omittendam occasionem esse duxi lepidam quandam narrationem proferre, quam Ianus ignorabat; si rescisset, certe utraque manu arripuisset: "M. de Chevreuil Principal du College de ... s'étoit si fort accoûtumé à ne parler que Latin, qu'il disoit à son cheval: Non ibis mala bestia, etiam admotis calcaribus? Et cette manière de parler moitié François, moitié Latin, lui étoit si ordinaire, qu'un jour étant allé rendre visite à une Dame, elle lui offrit son carrosse pour le mener chez lui: Non opus est, Madame, lui dit-il, j'irai bien à pied. En entrant dans son College il vit dans la cour tout étendu au soleil le chien qui tournoit la broche, appellé "Gueule noire"; il lui dit, croiant parler sans doute à quelqu'un des ses Ecoliers: Non studes, Gueule noire, tota die otiosus es, et ostendis potius testiculos ad solem." *Menagiana*, Paris 1729, t. 2, p. 184.

summopere a latine loquendo abstinebant. ceterum Italorum a latine loquendi abstinentiam satis mihi explicasse Morhofius videtur, cum ediceret: "Colloquia cum iis, qui latinam linguam accuratissime loqui nequeunt, magis turbant sermonem latinum, quam iuvant; ut Itali nonnulli de industria sermonibus latinis, etiam cum viris doctis, abstinendum existimant, ne dictio aliquid ex idiotismo trahat, quem in colloquiis viri etiam docti vix evitant, licet eleganter alias scribant."[176]

M. – accipio rationem eo libentius, quo te promptiorem in latine loquendo cognorim; isto enim modo ostendis latine loquendi facultatem nihil oratoriae facultati detrahere. ceterum cum latine loquendi consuetudinem maxime apud iesuitas excultam fuisse constet, non est quod miremur optimos semper oratores Societatem Iesu praestitisse.

S. – de istoc videbimus. magnam quaestionem moves et non facile dixerim plusne commodi an detrimenti litterae a iesuitis ceperint. atque in universum valere videtur, scriptores catholicos si cum

[176] Danielis Georgii Morhofii *Polyhistor litterarius philosophicus et practicus*, Lubecae 1747, t. 1, libr. 2, cap. 9, § 6 - 7, p. 421. eadem sententia defenditur in: Io. Gottl. Heineccii *Fundamenta stili cultioris omnibus* Io. Matthiae Gesneri *animadversionibus, emendationibus, additamentis et praefatione locupletata accuravit, digessit, suasque observationes hac editione auctas adiecit* Io. Nicolaus Niclas, Lipsiae 1766, p. 401: "Cave tibi persuadeas, ex usu tantum et loquendi consuetudine ad Latinae linguae facultatem posse perveniri. Tantum enim abest, ut hoc fieri possit, ut potius inde nasci soleat inquinatum illud ac sordidum dicendi genus, quo monachi maxime, nec non Poloni et Hungari delectantur. Quo fit, ut Itali, Latinae elegantiae studiosiores, a sermonibus Latinis etiam cum viris doctis de industria abstineant, ne dictio ex idiotismo vernaculae trahat, quem etiam viri, quamvis eloquentissimi, in colloquiis vix effugiunt. (Praesertim ob magnam illam patrii sermonis cum Latina lingua similitudinem <···> – GESNERUS)".

quaestio an praestet latine nescire quam male latine loqui serio atque fuse a Friderico Augusto Toepfer in "*Io. Michaelis Heusingeri Vita*" est agitata, cfr. *Io. Michaelis Heusingeri Opuscula Minora varii argumenti, exhibuit, praefatus est et vitam auctoris dedit* Frid. Aug. Toepfer, Nordlingae 1773, t. 1, f. 22^{v} sq.

haereticis componas, in prosa oratione plus de litteris latinis meritos esse (et quis paulo humanior Melancthonem Caussino[177] praeferat?). quod meritum magna ex parte ad iesuitas redundat. iidem cum utiles fortasse pueris instituendis essent, neminem tamen produxerunt quem summum oratorem agnoscas. sit mihi Sarbievius[178], sit Iacobus Balde[179] summus poeta – non invideo iustis laudibus, sed idem de oratoribus constanter nego. iam vero si ab eis ordiamur qui dicendi artem docuerunt, Caussinus mihi optimus adhuc doctorum omnium videtur[180], qui auribus sui saeculi accomodata rhetoricae praecepta scripsit. et adhuc quid Caussino eloquentius in praeceptis? veterem amorem tibi narro, qui, ut dicitur, cancer est. fateor iesuitas nitido verborum splendore primum me incredibiliter allexisse, mox intellexi me falsa deceptum arte: orationes eorum nulla plerumque urbanitate coloratas, Ciceronis verbis quidem abundare (etenim plerique eorum Ciceronem serviliter imitabantur), sensibus vero paulo exquisitioribus carere et ferme in communibus locis dilatandis versari, verbis eos propriis uti haud raro nescire – nam istam "longe lateque subsultantem orationem", quae in Caussino multoties invenitur[181], latinam esse non putabam. sed Caussinus hodie quoque cum fructu utcumque ab eis legi potest, qui latinae eloquentiae laudem aemulantur. in ceteris eloquentiae doctoribus, cum sint mediocres ferme omnes et ad imitationem parum valeant, aliqua tamen laude digni videntur

[177] Nicolas Caussin 1583 - 1651.

[178] Matthias Kasimir Sarbiewski 1596 - 1640.

[179] Jakob Balde 1603 - 1668.

[180] Nicolai Caussini, *De eloquentia sacra et humana libri XVI*, Parisiis [1]1617.

[181] iusta censura vexatur Caussinus in: *Jugemens des Savans sur les principaux ouvrages des auteurs* <···>, par M. [Balthazar] Gibert, Amsterdam 1725 (ed. anast. Hildesheim 1971), t. 8, p. 259 - 263.

Ludovicus Cressolius[182], Dominicus de Colonia[183], Antonius Fortius[184], Martinus du Cygne[185], Masenius[186], Cerda[187]; vivido ingenio in tetrica

[182] Louis de Cressoles 1568 - 1634. *Vacationes autumnales, sive de perfecta oratoris actione ac pronunciatione libri III*, Lutetiae Parisiorum ^{1}1620; *Theatrum veterum rhetorum, oratorum, declamatorum quos in Graecia nominabant σοφιστὰς expositum libris quinque* <···> auctore Ludovico Cressolio, Parisiis ^{1}1620. is felicissime in vi et sensu figurarum definiendo versatus est; itaque non raro Ioannes Christ. Theoph. Ernestus Cressolium adhibet in praestanti opere cui inscriptio est: *Lexicon technologiae Latinorum rhetoricae*, Lipsiae 1797.

[183] Dominique de Colonia 1660 - 1741. *De arte rhetorica libri quinque* <···> *Editio decima nona ceteris omnibus auctior*, Hagae Comitis 1739 [prim. ed. Lugduni 1704 (Vilnae 1700?, quam editionem nusquam reperire potui)]. hoc opus saltem eo nomine ceteris eiusdem generis praestare videtur, quod praeceptis parcit, exemplis vero, nec illis male undecumque petitis, abundat.

[184] Antonio Forti 1651 - 1707. *Miles Rhetoricus et Poeticus: sev Artis Rhetoricae et Poeticae Compendium*, Dilingae 1681. in hoc libro p. 289 sq. amplissimum catalogum invenies scriptorum e Societate Iesu qui "praeceptiones" scripserunt et qui in poesi excellebant.

[185] Martin du Cygne 1619 - 1669. *Fons Eloquentiae studiosae juventuti patens sive Explanatio Rhetoricae* 1706. [prim. ed. Leodii 1659]; Martinus du Cygne praecipue copia praeceptorum de adiunctis, affectibus et modo variandae orationis abundat. huic libro in editionibus adici solet eiusdem auctoris *Ars Ciceroniana, sive Analysis Rhetorica omnium orationum M. T. Ciceronis. Constat argumentis, tabulis, commentario, et annotationibus* [prim. ed. Duaci 1661]. censuram operis invenies in: *Jugemens des Savans sur les principaux ouvrages des auteurs* <···>, par M. [Balthazar] Gibert, Amsterdam 1725 (ed. anast. Hildesheim 1971), t. 8, p. 268.

[186] Jacques Masen 1606 - 1681. Iacobi Masenii *Ars nova argutiarum* <···>, Coloniae Agrippinae ^{1}1649. opus curiosum, ubi magnus numerus argute dictorum refertur, ut istud: "In mensa Alexandri IV. Pontificis aliquando de Medicis quaesitum; Praestaretne hos a Rep. submoveri? Cumque (ut multorum hi dicacium linguis vapulant) hoc nonnulli contenderent, fore ex re et bono communi, ut quibus Romani olim sexcentis annis caruissent. Contrarium sese Pontifex sentire arguto joco dicebat: "Nisi enim", inquit, "hi essent, illam hominum multitudinem mundus aegre sustineret."" Iacobi Masenii *Familiarium argutiarum fontes*, Coloniae Agrippinae 1711, p. 190. scripsit praeterea opus amplissimum quod dicitur *Palaestra oratoria. Praeceptis et exemplis veterum lectissimis instructa* Coloniae Agrippinae 1678 [prim. ed. ib. 1659]. Masenii opera scienter diiudicantur in: *Jugemens des Savans*, op. cit. t. 8, p. 266 - 268.

[187] Melchior de la Cerda 1550 - 1615. *Camporum eloquentiae* <···> *auctore* Melchiore de la Cerda, S.J., Kinchii 1658 [prim. ed. Lugduni 1614]. opus amplissimum, in duo volumina divisum, multis fictis oratiunculis instructum, in

hac turba excellit Franciscus Pomey[188]. memorandus est denique et

quo praeter regulas, omnes fere res et hominum affectus describuntur. invenies praeterea descriptiones quinquaginta amplius avium omne genus, corpus humanum in partes diligentissime disiectum atque res innumerabiles quae ad vitam spectant, ut "*Taberna aromatoria*" p. 359, "*Vestitus muliebris*" p. 374; "*Coquinaria*" p. 384 sqq.; "*Tonsores*" p. 413; "*Preces contra larvas, lamias, umbras nocturnas, Lamias*" p. 415, infinita alia. Cerda severam censuram patitur in *Jugemens des Savans,* op. cit. p. 230. similibus descriptionum dotibus sed accuratius praeditum est compendium Ioannis Baptistae Gantutii (Giovanni Battista Ganducci 1602 - 1690) *Descriptiones oratoriae,* Norimbergae 1702 [prim. ed. Parmae 1660], ubi cum alia multa tum et orbis terrae plagas descriptas invenies (omnes descriptiones ab auctoribus antiquis et recentioribus petitae sunt). eiusdem generis opus est Francisci Mendocii (Francisco de Mendoça 1573 - 1626) *Viridarium sacrae ac profanae eruditionis,* Coloniae Agrippinae 1680 [prim. ed. Lugduni 1631], ubi praeterea antiquitates romanae amplissime explicantur et quaestiones quaedam tractantur quae ad recentiorem aetatem spectant (ut in capite quod inscribitur "*Utrum usus pulveris tormentarii priscis seculis incognitus necne?*", p. 384).

[188] François Pomey 1618 - 1673, ad hunc modum apud lectores ordiendo: "Quid corrugas nasum, malevole? Aphthonius hic non est, inquis, sed liber Rhetoricus: Nec enim de Periodo, Figuris Oratoriis, et Amplificatione somniavit usquam bonus Aphthonius. Ain'tu? At ego somniavi; et meum haud vanum esse puto, anileque somnium." *Candidatus Rhetoricae seu Aphthonii progymnasmata* ... Auctore Francisco Pomey, Lugduni 1661 [prim. ed. 1659], f. 4v. cfr. *Barbae commendationem*: "Adversus barbatos, instinctu nescio quo, reverentiam adhibemus; docti videlicet a natura, haud aliud esse Barbam, quam Authoritatis | Insigne, de mento pendulum; quam Vexillum reconditioris Prudentiae, foris explicatum; quam nativum oris humani Diadema, de crine, textile; quam progerminantem e genarum molli solo, Sapientiae Lauream; Sertumque floreum vernantis aetatis, maturorum fructuum indicem, quos virilis producit autumnitas: nihil, inquam aliud esse pilos huiusmodi, praeter erumpentes Fibras iudicii, mentisque Radices in mento iactas; aut promicantes extra cutem, Solis animati Radios, qui lucet cerebri Coelo." ib. p. 188 sq.; ex chria quam "*In laudem Famiani Stradae*" scripsit: "O te, omnium literarum commendatione cohonestandum, Famiane Strada! o te singulari laudum praedicatione, et oratorum omnium voce praeconiisque celebrandum! <···> Sane, quot verbis scripta | tua distincta sunt, tot mihi videntur illuminata gemmulis; et quot sententiis conspersa, tot adridere flosculis, totque splendentibus stellulis, iucundissime radiare. Illarum tamen gemmularum velut Adamantem pretiosissimum, illorumque florum tanquam Rosam elegantissimam, harumque stellularum veluti Solem, sententiam istam reliquis aliis,

vir gregis ipse, Soarius[189], a quo fluxit inepta ista "longe lateque" atque "late alteque subsultans" iesuitarum eloquentia.

non sum nescius maximam olim fuisse opinionem, iesuitarum praecepta puerorum ingeniis perquam apta esse. quod falsum esse multis exemplis demonstrare possum. unus mihi Mazochius[190] sufficiat, vir in litteris clarissimus, qui cum puer adhuc sed igniculo ingenii iam tum praelucente videret se apud patres Societatis Iesu nihil in litteris proficere, toto pectore Ciceroni incubuit[191], et sic spretis omnibus eorum praeceptiunculis bonus orator evasit. at sunt quidam melioris notae. non sane nego. sed plerique eorum fracti sunt, nihil virile, nihil quod sine praeceptiunculis suis audent; omnia arcessita, nihil candide, incaute etiam (aliud est enim incaute aliud absurde dicere); quid? amamus ingenuam simplicitatem. et ego hac ex parte barbarus et Scytha esse malo quam isto pacto cultus homo haberi. sed haec fortasse ferenda - de eloquentia enim, non de officiis in universum sermonem instituimus, - illud vero gravius, praeceptis ubique valere: virilem sapientem excelsam virium succi et sanguinis plenam eloquentiam postulare, cum autem ad rem ventum, nihil nisi tumidam pictisque coloribus inepte subsultantem orationem praestare. quod omnium fere eorum vitium est. ut perridicule de martyrum suppliciis: "Premebantur torcularibus, quorum beatissimus cruor vinum erat Angelorum. Includebantur scaphis lento et exquisito supplicii genere per varias mortes cruciati, quos pro domo, coeli manebat immensitas"[192]. invenias iesuitarum orationes quae totae in

nemo non anteponat, quam sic expressisti, *Belli Duces, nihil magis timere debent; quam ne timere videantur.*" ib. p. 316 sq.

[189] Cipriano Suárez 1524 - 1593. *De Arte rhetorica Libri tres ex Aristotele, Cicerone et Quinctiliano deprompti* [prim. ed. Conimbrigae ca. 1560]. censura operis in: *Jugemens des Savans,* op. cit. p. 230 - 232.

[190] de quo vide supra p. 58 sqq.

[191] hoc factum narratur in Francisci Serai *Commentariolo de rebus Mazochii* (Alexii Symmachi Mazochii *Opuscula,* Neapoli 1771, vol. 1, p. VII).

[192] Nicolai Caussini, *De eloquentia sacra et humana libri XVI,* Parisiis [4]1637, p. 903a.

Christi morte versantur[193], ut in cruce scilicet eloquentiam festivam illam atque suavem exerceant. adi, si valde otiosus homo es, orationem Ioannis Francisci Carettonii[194] "*de Christi morte*" habitam Romae a. 1595[195]. Christi ibi caput depingitur: "gymnasium sapientiae, regia honoris"[196] et sic totum tibi Christi corpus in catalogum abit. aliquanto melius in ista cruce versatus est Daniel Heinsius, qui cum et alia tolerabilius sic et hoc idem de Christi capite melius: "Iidem [sc. milites] caput illud, in quo universa sapientia ac ratio continebatur, spinis lacerant ac frangunt"[197]. sed ut ad iesuitas redeamus, quis Vincentii Guinisii[198], qui tunc columen romanae eloquentiae habebatur, orationes sine risu ferat? ut in allocutione de Christi morte ad Sanctissimum Patrem Urbanum VIII, cum alia multa, neque auribus romani pontificis digna locutus, tum et hoc vel maxime facetum dedit: "obligari iubet ad columnam columen mundi, nudum et sua tantum modestia coopertum, mox etiam suo sanguine vestiendum. Illum lacertosi virgatores subito circumsistunt, diripiunt, lacerant, metunt quam ipsi non severe vindemiam; et vere supra dorsum Domini peccatores arant. Ah sistite, nequissimi criminum coloni: Campus ille siderei corporis non vestra sulcandus est manu, sed solis; nec alio tentatur caelum aratro, quam siderum."[199] euge! discite pueri ab his magistris eloquentiam, aliquando et ipsi sic eloquentes eritis. at sunt hodie professores, qui eorum libros rhetoricos magni aestimant, indefesso labore scrutantur, tamquam veros Europae thesauros in oculis

[193] cfr. volumen amplissimum q. i. *Orationes quinquaginta de Christi Domini morte Habitae In die Sancto Parasceves a patribus Societatis Iesu In Pontificio Sacello*, Romae 1641.

[194] Giovanni Francesco Carettoni 1556 - 1639.

[195] *Orationes quinquaginta*, op. cit., p. 156 - 176 (hanc orationem invenies praeterea in: Petri Iohannis Perpiniani *Orationes. ... accesserunt orationes ... Presbyterorum Societatis Iesu*, Monast. Westphal. 1602, p. 555 sqq.)

[196] *Orationes quinquaginta*, op. cit., p. 167 (= ed. 1602, p. 560).

[197] Danielis Heinsii *Orationum* ... Amstelodami 1657, p. 328.

[198] Vincenzo Guiniggi 1601 - 1653.

[199] Vincentii Guinisii S.J. *Allocutiones Gymnasticae*, Antverpiae 1638, p. 284 (= *Orationes quinquaginta*, op. cit., p. 506 sq.)

ferunt. verum ne simus aliis molesti: illi exerceant suas artes, *illa se iactet in aula* quisque eorum, modo solos se esse eruditos atque litterarum custodes ne proclament. quare non prorsus mihi a scopo aberrasse Ioannes Barclaius videtur, cum diceret: “Humaniores autem litteras, id est, amoenissimam partem, et, si mihi creditis, utilissimam Musarum, nondum satis delicate habuerunt [sc. iesuitae]. Vulgaris, et ut ita dicam, profana licentia facientium carmen, in scholis vel miseris scenis, suffecit inexpertis adulescentibus, et raro ludimagistro publicorum judiciorum periculum fecerunt.”[200] et postea verissime: “Nam si quis ideo doctissimos putat, quia rudem pueritiam ad literas informant, pessimo judicio in infinita rei aestimatione caligat <...> Et quidem de eo genere literarum plerosque afferre suam sententiam non fero, quibus nunquam verae eloquentiae imago de sui aut alieni ingenii speculo illuxerit. Summam et eruditam eloquentiam dico, quae ceteris comitata scientiis offenditur ineptia scholarum, neque se indulget ingeniis intra veterum imitationem inclusis, quae suas partes in stylo sperare aut ducere non audent.”[201] atque, ut aliquando hunc de vitiis iesuitarum sermonem absolvam, rem acu tetigisse videtur Scaliger cum diceret: “ils [sc. iesuitae] n’ont point encore fait miracle. nihil rari praestiterunt.”[202]

equidem non hoc agere institui, ut omnes hac censura iesuitas complecti enitar. sunt quos libenter excipiam. Dionysii Petavii[203] orationes, concinnae illae, plenae compositae, minime, nisi ab

[200] *Euphormionis Lusinini sive* Ioannis Barclaii *Satiricon*, Amstelodami 1658, p. 247 (tu melius consulas novam ed.: John Barclay, *Euphormionis Lusinini Satiricon*. By David A. Fleming, Niewkoop 1973).

[201] ib. p. 248. cfr. sententiam cardinalis Perronii, celebris elegantiarum arbitri: “Les Jésuites sont d’assez mauvais escrivans” *Perroniana sive excerpta ex ore cardinalis Perronii*, Genevae 1667, p. 173. ceterum de *Perronianis* vide Gilles Ménage, *Anti-Baillet* (in *Jugemens des Savans*, Amsterdam 1725 (ed. anast. Hildesheim 1971), t. 7, p. 90.)

[202] *Scaligerana*, Cologne 1695, p. 202.

[203] Denis Petau 1583 - 1652.

infelicibus interdum argumentis quae sibi iniunxit, spernendae[204]. Francisco Vavassori[205] in sermonis elegantia et sano iudicio non facile

[204] cfr. e. g.: "Quanquam utcumque error iste [sc. Crassi dictum: "Nisi quod quisque cito potuerit, numquam omnino posse perdiscere" Cic. de or. 3, 89] dissimulari possit, quamdiu nihil praeter inscitiae, arrogantiaeque crimen in ea opinione cernatur. Nunc vero in divinis Christianisque disciplinis, cum citra impietatem ostentari tam expedita facilitas nequeat, etiamne idipsum usurpare impudenter audebimus? Impietatem dixi. Quae enim maior esse potest, quam ita de hisce doctrinis loqui, nihil ut oratio tua ab nostrae aetatis Haereticorum sacrilega, ac nefaria voce dissideat? Quid enim tam crebro ab iis usurpari audias, quam Sacrarum literarum, et utriusque testamenti planam doctrinam, ac facilem? Adeo ut ne mulierculas quidem ab earum tractatione repudiandas censeant. Irrident nos, cum in is intelligendis dies noctesque consumimus, hebetesque esse vulgo atque insanire clamitant, qui caecorum more lucem in meridie quaeramus. Sibi contra idem, quod de Cadmi militibus vetustas finxit, atque eo etiam amplius contingere, quod nullo satu, nulloque cultu sponte sua illico Theologi, ac sapientes prodeant. An alia nostrorum hominum vox est, qui cito addiscenda omnia, vix ullo interiecto medio, ad summa disciplinarum, atque artium subinde convolandum existimant?" *De discendi ratione adversus Crassi dictum L. III. De oratore: "Nisi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino posse perdiscere". Oratio nona* in: Dionysii Petavii S.J. *Orationes, et opera poetica*, Coloniae 1621, p. 208.

[205] François Vavasseur 1605 - 1681. cfr. ex oratione quae inscribitur "*De vitanda curiositate. Esse maius periculum ne nimium, quam parum sciamus*": "Atque ut certis membris, aut naevo aliquo, et macula cognoscere possitis corpus universum, num, obsecro, nimis sciunt, qui Romanenses, ut vocant, praeter exspectationem, verique umbram, et similitudinem, libros hominum abutentium, et otio, et literis, mera anicularum somnia, mera monstra, percursos habent, probe cognitos, memoria, cum quidem pene infiniti numero sint, comprehensos? Num sciunt nimis, qui Italos, qui Hispanos, qui patrios Poetas tanquam ungues, digitosque norunt, et ubivis quasi religiosos testes, aut sententiosos morum Magistros, adhibent; ceteroquin nulla extra numeros similiter cadentes, nomine praestabiles? quae utique clausulae numerorum pares, et corruptam esse, adulterinamque linguam satis doceant, et risum, nisi res videri minus ridicula desiisset usu, moveant. Num nimis sciunt, qui codices jam Graecos, jam Latinos insuper habent, mulierum, vulgique sermone conscriptos malunt? hos eosdem, qui semel, iterum, tertio Gallicos a diversis Interpretibus factos, refectos, interpolatos, toties perle|gerunt, qui toties eandem sententiam aliis verbis inculcatam, et retractatam, omnibus modis oculorum, et aurium devorant, num nimis sciunt?" *Orationes Sacrae et Miscellae Patrum Societatis Jesu*, Coloniae Agrippinae 1730, pars II, p. 230 sq.

cfr. initio *Orationis secundae*, cuius index est: "*Quare potissimum, et quantum viri literati ab illiteratis differant*": "In vitae quotidianae varietate,

viri illustrissimi, hominumque conditione multiplici, permolestum illud mihi, spero, item et vobis, accidit, quod, cum dignitatis, et maximorum in publicam rem meritorum insigne pariter, atque merces, honos sit; nequaquam satis literati jam viri, pro eo gradu, in quo non fortuna eos, sed sapientiae studium collocavit, observentur. Hujus sive ingratae despicientiae, sive insolentis fastidii, seu, ut ego interpretor, injuriae non ferendae dum causas exquirerem apud me, atque eruere conarer, ut duplex hominum genus est, doctorum et indoctorum, duas numero reperiebam verissimas. primum quod imperiti, sicut pleraque omnia, ita et hoc nescirent, quantum esset in literarum scientia ornamenti repositum, atque splendoris. deinde quia ipsi illi, his doctrinae opibus et facultatibus praediti, multo se minoris, suaque saepenumero facerent, quam tam ampla, tamque opima professio postularet: credo quod, ut avari negociatores [sic] partas jam, congestasque pecunias parvi, vel pro nihilo potius ducunt, studio et cupiditate crescendi; sic isti, ut maxime abundant eruditione, ita minime se aequos aestimatores, ac judices praebeant eruditionis." Francisci Vavassoris S.J., *Opera omnia*, Amstelodami 1709, p. 195.

nuper cum de Persio poeta testimonia undecumque colligerem, multum ex aureo Vavassoris *De ludicra dictione* libro voluptatis cepi. breve inde libamentum dare mihi satis erit: "Sequitur Horatium Persius <···> de quo cum tam honorifice video praedicari et a Quintiliano <···> et a Martiale <···>, miror equidem, quid isti tale ac tantum sex in satiris deprehenderunt, quod nos tam longo intervallo ne suspicione quidem assecuti sumus. Atqui maiora nobis omnia in illo videri debent nunc, quam videri potuerint antiquis: propterea quod ii plurima sui temporis nota habebant, ideoque vulgaria existimabant merito, quae tanto post cum acceperimus, cumque annis obscura sint, plena mysteriorum arbitramus, ut apud nos doctrinae nomen et instar obtineant, quae servis quondam essent, et opificibus, et tabernariis notissima. Nec tamen occurrit quidquam Persianum, quod laudem a nobis praecipuam nedum admirationem magnopere efflagitat. Nam mihi qui|dem, ut verum dicam, nihil se offert insignius ipsa obscuritate scriptoris, ex qua fortasse nata est opinio eruditionis et doctrinae. Ac saepe carmina, ut oracula vates, videtur fundere, quae conjectatoris opem requirant: sic ut haereamus, ubi nos vetus interpres brevitate sua destituit. In quam obscuritatem si auctor incidit imprudens: magnum vitium. si de industria quaesivit: non apparet cur plerique scripta mirentur, quae non intelligant: aut cur scriptorem laudent, qui intelligi noluit. <·· | ··> Verum esto sua antiquitati fides et auctoritas. defero Persio, quantum deferri potest: do ei iocos, cavillos, salem, fel, acetum: non adimo Latinitatem, diversam iam illam quidem ab optima, sed tamen nondum corruptam. Caret eo certe, quod adhuc investigare non potui ubinam sit, superiorum temporum foetoribus, suae memoriae quisquiliis, quas aut Volaterris repetierit, aut Romae collegerit in compitis, aut accierit rure alicunde. Eo caret, quo | ridicularii nostri abundant, vel potius ex quo toti conflati et concreti sunt, sordidis et trivialibus verbis, et conquisitis undique cuiusque generis ineptiis. <···> Sed ne fiat longius non necessario, sic distinguemus: Hora-

parem inter eiusdem temporis Francogallos invenias. neque longe inferior Iuvencius[206], quin etiam nervosior sive facetior. constans fuit saeculo XVIII apud quosdam Francogallos opinio eum optimum omnium recentiorum oratorem extare. equidem tali sententiae album calculum non adiecerim. dictione durior et vitiosior, sed magnificus et violens est Nicolaus Avancinus[207], unicum Austriae

tium, placide et leniter influentem in animos, suadere ridendo: subsannantem Persium philosophari velle: Juvenalem, quasi crudum et nauseantem, indignari omnia." Francisci Vavassoris S.J. *De ludicra dictione liber. In quo tota iocandi ratio ex veterum scriptis aestimatur* ... Lipsiae 1722 [prim. ed. Parisiis 1658], p. 244 - 248.

206 Joseph Jouvency 1643 - 1719. ex oratione cuius index est: *Quam falso, et periculose ingenii fama, novitatis Defensoribus tribuatur*: "Placet hominem interrogare? deprehendetis illum saepe in elementis ipsis rudem, infantem in nominibus, ne primoribus quidem sectae mysteriis initiatum. Premetis hominem disputando? fugiet. Urgebitis ratione? ridebit [cfr. Hor. serm. 2, 3, 71 sq.]: revocabitis eum ad severioris Philosophiae Leges, nunquam se de illis audivisse rebus gloriabitur, et verum sane dicet. Obsolevit, inquiet, ipsa ratio disputandi, quis paulo jam elegantior, et accuratior ita sentit, quis ita loquitur? relinquatur hoc sane scholis, et exercitationibus, decrepitis quibusdam anilis Philosophiae Defensoribus relinquatur: dedocuit nos haec aetas, et sapere monstravit, in eam si redirent veteres illi Philosophi, quos ludos cum suis, nescio quibus, Accidentibus, cum animabus, e materia eductis darent? ut furcillis expellerentur! ut eorum barbam hirsutam, et hispidam nostri Philosophi subtili sua novacula raderent!" *Orationes Sacrae et Miscellae Patrum Societatis Jesu,* Coloniae Agrippinae 1730, pars II, p. 170.

207 Nicola Avancini 1611 - 1686.

lumen[208]. neque ideo laudi Michaelis Denisii[209] alterius Austriae luminis derogari velim; viri candidi et amabilis[210]. is in carminibus sublimis,

[208] cfr. "At orationem enervari, modernum dicendi genus per insigne ludibrium traduci, omnino non patiar. Vultus animi est oratio: ille non sine dedecore percutitur; ubi sermo verberatur. Non juro Lipsio, non adoro Senecam: quos illi falso sibi moderni (ut vocant) styli parentes | imaginantur. Sed neque Ciceroni sacramentum dico; si nihil compte, nihil ornate, nihil ad penetrandos evincendosque animos sine Cicerone dici posse existimatis. Caeteris liber sum; soli materiae et foro juratus. In utriusque servitium cogo sermonem. Est sua Tullio per tot aetates commendatio, est sua etiam Cordubensi Sapienti. Pro suae aetatis ratione, pro materia, pro foro, pro Auditorum diversitate dissimilem quisque, vel similem meretur commendationem." Oratio XIX. *Pro stylo moderno, seu succincto,* in: *Orationum* Nicolai Avancini S.J. pars III, Coloniae Agrippinae 1704, p. 313 sq. "Sed neque Oratoris commendatio singularis est, ingens strepitus sine rerum magnitudine. Verborum copiam ingenii inopia parturivit. Quaeritur ut multum, non ut diu dicatur. Dictionis parum, sententiae multum, ingenium sapit. In parvis excellit ars, in tenui natura triumphat." ib. p. 316.

"Illud tamen tanto confidentius dicam, quanto verius experimur, illo sententiarum nimbo si non rationis pondus elevari; at certe ad excitandos affectus omnem orationis aciem obtundi, et enervari. Quod si, ut animis vestris persuadeatis, effecero, illud simul evicero, siccam illam concisamque eloquentiam eloquentiae triumphum perdidisse. Nam cum caeterae artes eo potissimum industriam suam convertant, ut rerum creatarum obstinationem sua sub imperia cogant, eo supra reliquos emergit Orator plurimum, quod libero | animo atque divinitatis capaci caeterarum omnium rerum Imperatori ita dominetur; ut qui adversus flammam et ferrum in convivio [legendum: *inconnivo*] vultu stare potuisset, Oratoris arbitratu in omnem partem versetur." Oratio XX. *Pro Stylo ampliore et fuso,* op. cit., p. 328 sq.

[209] Michael Denis 1727 - 1800. de Denisii vita et scriptis novissime egit Dieter Schmidmaier, *Michael Denis' "Sammlung kürzer Gedichte" aus den Jahren 1762 - 1776*, in: *Von der Wirkung des Buches. Festgabe für Horst Kunze zum 80. Geburtstag* <···> Besorgt von Friedhilde Krause, Berlin 1990, p. 208 - 216, imprimis p. 209 sq.

[210] ut ex *Commentariis* eius atque aliorum testimoniis iudicare licet. cfr.: "A M. Theresia, et post a Iosepho II. imperatore, prae ceteris, pinguiore est donatus pensione annua; quae cum sibi nimia videretur, rogavit, ut eiusdem portio quaedam addiceretur his, qui magis indigerent. <···> Erat Denisius, aetate sua, inter litteratores magnum et illustre nomen, dux atque praeceptor fidus in reducendis, restaurandisque in melius elegantioribus litteris; comis, mo|destus, humanus; egenis praecipue bonus, et opem ferre paratus; a studio

in prosa vero oratione munditiis simplex: multa commendatio humanitatis, nulla ex ornatu petita[211]. (ne quid denique Austriaco censui desit, memoretur et Erythraeus[212], Ordinis S. Benedicti eruditissimus antiquarius, bonus poeta, futilis, non tamen prorsus

congregandi nummulos, atque ab omni avaritiae suspicione alienissimus." Engelberti Klüpfel Theologi Friburgensis *Necrologium sodalium et amicorum litterariorum qui auctore superstite diem suum obierunt*, Friburgi et Constantiae 1809, p. 246 sq.

211 cfr. e. g.: "<···> reminisci juvat, quae in illa regione per aestatem ob aquarum stagnantium exspirationem tempestatum feraci mihi, cui natura magnam earum formidinem indidit, evenere. Liber erat a schola dies; hinc prandium in suburbana collegii villa. Nactus eodem die Rollini de Litteris elegantioribus praeceptiones legendi libri cupidi|tate flagrabam. Quare mox a mensa relictis sociis per hortum ad oram silvae in adsito colle contendi, stratusque sub arbore, coeli parum curiosus, lectionem exorsus sum. Verum liberaliter pransum, et aestu gravi, qui tempestatum praecursor esse solet, pressum abstulit sopor. Ut verbo dicam, fragore repentino perculsus evigilo. Jam densissimus imber et librum pessumdederat, et penetrarat ad cutem. Itaque me corripio, cursuque per declive villam quartam ferme partem horae distantem inter continua fulgura, tonitrua, maximosque metus peto, quo delatus anhelus et perfluens collegis insuper ludum, jocumque dedi. Alio die festo mane reduces a sacra coena preces fundebamus in templi pergula, cum improviso fulmen per apertam super nos fenestram illapsum meam, et ejus, qui pone genua flexerat, frontem eum in modum adflavit, ut per complures dies ardore quopiam pruriret. Eo momento noster, qui curam infirmorum gerebat, non procul a nobis positus, vir facetus succlamabat: sensisse se veluti musculum intra vestem et corpus brachium sibi percurrentem; ego vero eodem temporis puncto flammam se vasi cupreo lustralis aquae, quod ad ingressum erat pergulae, cum sibilo immergentem conspexi. Parum certe valebant isthaec ad me tempestatibus reconciliandum, quibus addam tertium, quod deinceps Graecii contigit. Dum enim imprudens fenestrae adstarem, fulmen in adversum tectum, quod non ultra duodecim passus aberat, excussum imbrices in impluvium disjecit. Verum antequam relictis Carnis iterum ad Styros veniam, libenter recolo, me frequenter cum discipulis jocatum cum ob provincialem eorum germanice loquendi rationem, tum quod in latinis etiam praepostero literae usu pro pessimo caseo mihi pesimum casseum adponerent. Ceterum bene multos egregie proficientes, plurimos morigeros et dicto audientes habui, paucis simulatoribus larvam detraxi, in uno, quem plurimum amare potuissem, frustra fui, nimiae propterea severitatis a quibusdam ejus fautoribus incusatus; sed fuga, quam e scholis anno sequente clam cepit, me vindicavit." *Michaelis Denisii Commentariorum de vita sua libri V* in: Michael's Denis *Literarischer Nachlass. Herausgegeben von* J. F. von Retzer, Erste Abtheilung, Wien 1801, p. 39 sq.

212 Simon Rettenpacher 1634 - 1706.

iniucundus prosae orationis scriptor[213]). Adamo Widl[214] iustis de causis Bavaria unice delectatur[215]. non praetermittendus est nuper primum

[213] in libello qui inscribitur "*Litterati hujus saeculi ad censuram vocati*" fingitur senatus litteratorum. postquam Varro senatores de corrupto eloquentiae statu docuit atque Cicero, Priscianus et Horatius sententias de recentioribus tulerunt, "<···> sententiam rogatus M. Fabius Quintilianus, in haec verba, si bene memini, resolvit ora: "Omnibus saeculis, P<atres> C<onscripti> suus genius, et propria velut indoles, cujus arcana vi mortalium animi ad diversa studia impelluntur. Quaedam aetates armis horridae, quaedam placida pace compositae. Nunc barbaries ingenia efferat, nunc mitiore cultu mansuescunt. Idem fatum | litteras urget, ut modo florere ac vigere incipiant modo languescere, et demum emori <·· | ··>. Caussa vero et origo infelicis adeo casus nulla mihi certior, quam antiquitatis neglectus, et imitationis contemptus. Quis enim priscorum Poetarum ac Oratorum monumenta evolvit? Quis M. Tulii libros aut Demosthenis ea diligentia, quam tanti civis ac Consulis majestas postulat? Quis vim dicendi aemulatur? quis nervos ac lacertos exprimit? Nemo hercle <···>. Nunc ad eos se tantum auctores convertunt, qui dulcibus vitiis abundant, qui novo elocutionis genere masculum vigorem enervant, qui ambitioso acumine incautos feriunt. <·· | ··>. Hi Doctores in exilium pellantur, vetusti Scriptores reducantur; reflorescet eloquentia, eruditio redibit." Pupugerunt ultima Quintiliani verba declamatores nonnullos, qui extemporali facundia praediti oblocuturi ridebantur, nisi Senatus reverentia coerciti fuissent. Quidam nihilominus ex eorum numero lingua venali, ore indomito, audacia perdita, in has voces erupit: "Quid tu mihi, Fabi," ait, "obsoletas naenias et fabulas usque occinis <···> cur ad onera et duros labores vocas, scilicet ut aurum colligam e Ciceronis sordibus? *etc.*"" Misonis Erythraei *Ludicra et Satyrica*, Salisburgi 1678, p. 199 - 202. at quam iacent apud Erythraeum omnia; et quanto melius in eodem argumento Lipsius ("*Somnium*" Lipsii dico) versatus est!

[214] Adam Widl 1639 - 1710.

[215] cfr. ex capite VI, ubi quaeritur *an D. Sebastianus quando martyr occubuit, juvenis, vel senex fuerit?* et demonstratur, Sebastianum provectiore iam aetate martyrium passum: "Quae pictorum, atque Poetarum licentia non data, sed usurpata est, plerique de Apellis tribu ac schola Sebastianum Juvenem, imberbem utcunque pingunt. Contrarium omnino suadet tum ratio ipsa, quae regula est rerum incertarum, tum etiam luculenta multorum testimonia, etiam suo aere digna." *Divus Sebastianus Eberspergae Boiorum propitius* <···>. auctore Adamo Widl S.J. Monachii 1688, p. 61. et addit: "Ignoscendum tamen ejusmodi artificibus [scilicet eis qui Sebastianum iuvenem pingunt] censeo: nam per juveniles vires et solidum corporis robur forte aliud penicillo insinuare non volunt, quam fortitudinem animi, et incredibilem Herois magnanimitatem, praesertim cum ipsemet Sebastianus Ostroldo Lugdunensi Epi|scopo in visione nocturna speciosi Juvenis figura olim apparuerit, uti Bollandus meminit, qui loco citato videri poterit. Sed de his satis: Neque enim cum pictoribus, quorum penicillum liberum est, litem suscipimus, sed quod

editus Nicolaus Vulcanus[216], floridae eloquentiae sectator, qui in partibus cum ipso Caussino certare potest, et est in operis dispositione melior; in eloquentiae tamen exemplis adducendis diiudicandisque Caussino longe inferior. bonus auctor audit Philippus Labbaeus[217], quem, utpote orationes eius numquam legerim, meo quidem iudicio destitutum, aliorum laudibus[218] instructum, in hunc rhetorum campum produco. ceteri clariores ut quaque de gente venerint, suo loco referantur.

Famianum Stradam[219] cum lego, tantum nescio qua dulcedine afficior ut vix ab eo divelli possim[220]. is in Collegio Romano[221]

verosimilius est, ostendimus. in rebus dubiis et incertis suum cuique pulchrum esto." ib. p. 63 sq.

216 Niccolò Volcano 1664 - 1735, *Sagata Pallas sive pugnatrix eloquentia*, hrsg. Thomas Feigenbutz, A. Reichensperger, 2 voll. Tübingen 1997.

217 Philippe Labbé 1607 - 1667.

218 quas invenies apud Thomas Pope-Blount, *Censura celebriorum authorum, sive tractatus in quo varia virorum doctorum de Clarissimis cuiusque Seculi Scriptoribus Iudicia traduntur* <···>, Genevae 1710, p. 1050 sq.

219 Famiano Strada 1572 - 1649.

220 sic dialogi de ratione scribendae historiae partem posteriorem exorditur: "Condicto die redeunt in hortos, intermittente iam aestu, Antonianus et Bencius. (Persequor enim iisdem Disputatoribus institutum de Historia Dialogum, Cardinalis Amplissime) Dumque Muretum praestolantur cum Hippolyto Cardinali Estense, nescio quid otiosius domi transigentem; occupat Bencius, rogatque Antonianum, ut (quando per Mureti moram licet) paucis, nisi molestum est, refe|rat extemporale illud carmen, et carminis vaticinationem, cuius mentionem fecerat apud Hippolytum hesterno die. Annuit ille, statimque ex areola, qua inambulabant, proceras admirati platanos ab stirpe ad primos usque ramos hedera ita convestitas, ut summae quidem arbores suis frondibus, imae vero alienis virerent; concedunt in proximum xistum, quem gradata hinc buxus et concisa in plurimas species, inde tarentina myrtus varie tonsa, aliaeque pressae atque retentae manu arbusculae bellissime concludebant. In medio fons aestuabat intra marmoreum cratera, e cuius labro caducus, veli instar tenuissimi expandebatur demittebaturque in subiectam piscinam; quam circum siphunculi plures expressi micabant e solo, atque in cratera reciproci miscebant suavissimum murmur. Hic in loculamentis trifolio virentibus mollissimas nacti sedes ac pulvinos adversi conquiescunt. Tunc Antonianus, Facio, inquit, omnino libenter quod postulas, Benci, ut humanissimi Principis munificentiam omnibus testatam habeam. Res ita se habuit. *etc.*" Famiani Stradae S.J. *Prolusiones academicae*, Romae 1617, p. 252 sq.

221 institutum Romae a. 1551 cura et studiis S. Ignatii de Loyola.

rhetoricae professor fuit. equidem cum istius Collegii nomen audio, facere non possum quin admiratione permovear. quantos viros Collegium illud alumnos eduxit! quanta professorum nomina audio! quo piaculo Perpinianum, hoc potissimum loco ubi laudes Collegii Romani tonare institui, silentio transmittam? professor Collegii Romani fuit. quis vere eruditorum Athanasii Kircheri[222] nomen nescit? mathesis ibidem professor fuit. totum mundum pervagata est fama Ruggeri (i. e. Rogeri) Boscovichii[223], atomismi dinamici acerrimi[224] propugnatoris, eiusdem cathedrae professoris. magna Morcelli[225] de re epigraphica merita sileri nequeunt[226]. te appello, Horati Turselline[227], tuo enim libro de particulis latinae orationis usque ad hunc diem grato animo utimur. tu quoque rhetoricae inibi professor

[222] Athanasius Kircher 1601 - 1680.

[223] Ruggero Giuseppe Boscovich 1711 - 1787.

[224] etiam nimis. cfr. "Agmen factiosorum ducebat Ruggerus Boscovichius, mathematicus ille quidem insignis sed natura impotens, atque omnium rerum quas animo defixisset, nimius." I. C. Cordara, *De suis ac suorum rebus*, Torino 1933, p. 184.

[225] Stefano Antonio Morcelli 1737 - 1821. praestantissimum opus eius est q. i. *De stilo inscriptionum Latinarum*, Romae 1780.

[226] cfr.: "You know, Edward, that my taste compels me to disapprove of the rhetorical and pompous style, in which modern epitaphs are written; and it is no less provoking than true, that in Westminster Abbey I do not know one inscription that is formed upon the models of antiquity; and even in Oxford, I have met only one which resembles them. <···> What ought to be done in Latin by us, is known to me after a careful perusal of what has been done by the Ancients; and my opinions are founded upon a diligent and critical inspection of what has been published by Sponius [Jacques Spon 1647 - 1685], Reinesius [Thomas Reinesius 1587 - 1667], Fabretti [vide infra p. 220], Gruter [Janus Gruter 1560 - 1627], Muratorius [Lodovico Antonio Muratori 1672 - 1750], and Morcellus. The latter has written one of the most elegant and judicious books I have ever read; and he moreover has published a volume of inscriptions written by his own pen in conformity to his own rules." epist. 16.10.1794: The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 8, p. 335.

[227] Orazio Torsellini 1545 - 1599.

fuisti. Tursellinum tamen in hoc opere missum feci[228], ne legem mihi imponerem de ceteris quoque saec. XVI iesuitis disserendi atque efficerem ut de Francisco Bencio[229] eiusque *In funere M. Antonii Mureti* cumprimis laudanda oratione[230] quae non sine magno voluptatis fructu legitur, et de multis aliis oratoribus atque grammaticis necesse esset mihi loqui. recenseamus itaque ceteram Collegii Romani gloriam. imprimis mihi celeberrimus Lagomarsinus[231] dicendus est, vir magnae doctrinae, acris iudicii, in orationibus minus quidem laetus et ornatus

[228] ceterum sermo Tursellini nescio quid aridi semper praefert, hunc enim ad modum narrat qua constantia Franciscus Xaverius daemonum verbera pertulerit: "Ergo ira odioque furentes ut illum ab instituto absterreant, nocte concubia, ante aram Beatae Virginis supplicanti ex composito superveniunt [sc. daemones], truci fremitu, clamoribus variis, horrendoque cuncta complentes sono. Mox virum ad minas intrepidum quam tumultuosissime adorti verberibus atrocissime caedunt, factis dictisque odium explentes suum. Ille inter verbera crepitusque plagarum magis de constantia, quam de tergo suo solicitus, Dei parentem sui certaminis spectatricem implo|rare: vanos hostium tumultus magnitudine animi eludere; orationem institutam non fortiter solum sed etiam constanter urgere. Quocirca molestos illos et importunos interpellatores fortis atque invicta perseverantia, acerrimum adversus infestos daemones telum, facile abegit. Et Franciscus quidem ferendo, spernendoque eorum impetus adeo fregit, nunquam ut postea in eum sustinuerint aliquid tale conari." Horatii Tursellini S.J. *De vita Francisci Xaverii Qui primus e Societate Iesu in Indiam et Iaponiam Evangelium invexit libri VI* etc., Romae 1596, p. 93 sq. laudat eum tamen clarissimus Morcellius, ut, eis qui clarorum virorum vitis scribendis operam dant, neminem ultra tres auctores Nepotem, Maffeum et Tursellinum commendet: "Chi volesse applicare a scriver vite latine non si diparta da Cornelio Nipote: e se ama esemplari non antichi, Pietro Maffei nella vita di s. Ignazio, e Orazio Torsellino in quella di s. Francesco Saverio presentano una buona guida da seguirsi." *Metodo di studiare ed indicazione de' libri della biblioteca Morcelliana ... Opera Postuma dell'abate* Stefano Antonio Morcelli, Chiari 1826, p. 34.

[229] Francesco Benci 1542 - 1594. fuit Lipsio ex eo tempore, quo Romae eum familiariter cognoverat a. 1567 et 1568 usque ad mortem acceptissimus, cfr. *Sylloges epistolarum a viris illustribus scriptarum*, collecti et digesti per Petrum Burmannum, Leidae 1727, vol. 1, p. 58; 66 sq.; 680.

[230] Francisci Bencii S.J. *Orationes et Carmina*, Ingolstadii 1595, p. 219 - 237.

[231] Girolamo Lagomarsini 1697 - 1773.

quam ut Ciceronis studiosum deceret; sed graviter docet, ubi commotior assurgit – sibi instat, argutissime cavillatur, errores acriter persequitur[232].

[232] cfr. e. g. ex oratione aurea *Pro lingua latina* habita Florentiae: "Quid? illa multumne valent? nimium et laborem in latinis addiscendis, et tempus impendi? Cui incommodo Italicis litteris obcurri! Videte quantum inter meum atque istorum judicium intersit, Florentini. Ego enim sic statuo, multo esse ad diuturnitatem longius, multo ad laborem molestiamque gravius, si vernacula lingua, quam si latina, doctrinae, artesque tradantur. Etenim si hoc fiat satis est latinam linguam ab litterarum studiosis perdisci: id quod labore certe aliquo, at non admodum improbo, at non sane diuturno consequi non hebes, neque indiligens quivis potest. Fac autem, in earundem litterarum tractatione a singulis quibusque Gentibus linguam usurpari vernaculam. Pro Deus Immortalis! quis tanta mentis acie praeditus reperietur, qui non animum plane despondeat, a studioque doctrinae deterreatur, ubi sibi (siquidem velit eruditionem etiam peregrinam, atque exterorum hominum doctrinam non ignorare) praeter vernaculum, Graecum etiam Latinum, Hebraicum, Illyricum, Persicum, Polonicum, Sarmaticum, Anglicum, Scoticum, Hybernicum, Batavum, Germanicum, Hispanicum, Gallicum, Italicum, omnes denique omnium scriptorum sermones esse cognoscendos intelligat: Certe qui vel ipsos Latinos graece, non latine, scripsisse mallent, ut homines studiosi unam modo linguam, non duas, ut nunc fieri necesse est, discere cogerentur: id optant, quo multum profecto humani ingenii imbecillitati, in hac vitae brevitate consuleretur. Isti autem misericordes homines atque humani, ut nos labore latinam linguam discendi levent, tum latinam ipsam nos discere, tum reliquas omnes praeterea cogunt." Hieronymi Lagomarsini S.J. *Orationes publice dictae Florentiae ab ipso auctore studiorum ibidem praefecto*, Augustae Vindelicorum 1763, p. 80.

cfr. iudicium, quod ex amplissimo Mariani Parthenii de vita Lagomarsini commentario petivi: "Ac primum, si latinitatem spectes, nihil purius, nihil limatius, liquidius nihil esse potest, ut pene solus [sc. Lagomarsinus] hac quidem aetate latine locutus videatur. In reliquis scriptoribus, si veteres excipias, fere occurrit, quod sive negligentia, sive ignorantia, sive imprudentia peccatum jure reprehendas. Nihil hujusmodi in Lagomarsino. Omnia castigata, omnia ad artis regulas exacta, limata, et polita, ut ne minimo quidem verbo offendat <···>. Elegantia vero tanta, quanta in ejus Orationibus elucet, quas modicus quidem ornatus, sed rei, qua de agitur conveniens satis illustrat, atque distinguit. Verborum autem delectus, exquisitus, apta comprehensio, coagmentatio prorsus latina." Josephi Mariani Parthenii *De vita et studiis Hieronymi Lagomarsini S.J. Commentarius* a Francisco Carra Bergomate enarrationibus auctus et illustratus et nunc primum novis

Bernardini Stephonii[233] oratione *De Sancti Spiritus Adventu* non temere apud Italos quidquam maiore spiritu prolatum invenias[234].

additis adnotationibus editus a Vincentio Georgio <···> Venetiis 1801, p. 41.

Parthenio a multis eloquentiae palma deferebatur (cfr. "scriptor latinus dignus aevo Augusti" Aemilius Springhetti, *Selecta latinitatis scripta auctorum recentium (Saec. XV-XX)*, Romae 1951, p. 182; "poeta et orator latinus praestantissimus" id., p. 288), sed ipse, qua fuit modestia, conquerebatur iniuste Lagomarsinum sibi postponi: "Juvenilis quaedam mea in eloquendo, ornandoque exuberantia mirum in modum probabatur. Quae, ut in juvenili aetate utcumque ferenda esset, coercenda in provectio|re fuit, et castiganda, ne quod erat juveni ignoscendum, probro verteretur seni. Ego vero, qui me nemini unquam praeposui, et cuiquam anteponi semper aegre tuli, aequo animo ferre non poteram tantam viro injuriam irrogari, et juvenem insolentius exultantem anteponi homini gravissimo, et doctissimo. Quamquam hi, de quibus dico, non id quidem malo animo faciebant, sed, ut dixi, artis ignoratione. Lagomarsiani styli elegantiam, et subtilitatem non assecuti, errabant in eo, quod illum non sui, sed mei similem in dicendo voluissent; ego contra multo rectius non mei, sed ejus esse similem maluissem." ib. p. 43 sq.

Lagomarsinum optimum latinarum orationum iudicem fuisse affirmat Cordara, cfr. "Voi siete il miglior giudice, di queste cose, ch'io mi conosca" *etc.* (epistula ad Lagomarsinum d. 7. m. Apr. a. 1747 data) in: Giovanni Alberotti, *Scritti inediti di Giulio Cesare Cordara* <···> Modena 1899, p. 39.

233 Bernardino Stefonio 1560 - 1620.

234 atque hoc verum esse facile cuicumque apparebit, si cum ceteris id generis orationibus (quarum plurimas invenies in volumine q. i. *Orationes de Sancti Spiritus Adventu Habitae ipso Pentecostes die in Sacello Pontificum Vaticano et Quirinali. a Seminarii Romani Convictoribus* ... Romae 1645) conferatur Bernardini oratio. cfr. e. g. "Illud enim quaero, quo tempore quinque civitates illas, consensione scelerum, et contagione turpitudinum corruptas, nec minus exitio nobiles, quam flagitio infames, | pluvium, ac repentinum incendium exhausit, atque ultrix e caelo flamma depasta est, an vehemens hic Spiritus pessimos pessime perdidit, perditos in alto sulphuris aggere demersit, demersos exhausit ingenti terrarum hiatu, exhaustosque campos graveolenti caenosae lacunae gurgite inundavit: intactum vero caelitum hospitem, hominem antiquae probitatis sevocavit a turba, secrevit a noxa, seduxit in montem, ab interitu vindicavit?" Bernardini Stephonii S.J. *Orationes Romae Habitae*, Coloniae 1621, p. 708 sq. quid dicis, lector? indignaris me pauca dare et ne gustum quidem orationis tibi obtulisse? sed Stephonius libratis periodis, ponderatis seque invicem excipientibus sententiis, congrua partium dispositione valet; quae omnia nisi usque ad finem perlecta oratione non dispiciuntur. vellem integram dare.

idem in epistulis familiaribus salibus atque festiva humanitate multum valet[235]. probabiles fuerunt oratores Gulielmus Dondinus[236] (qui satis sincere citraque malam Ciceronis affectationem in medio genere stili virtutes referebat. assurgit vero raro et invita Minerva), Tarquinius Galluccius[237], et Ignatius Bomplanus[238]; minus placent Ioannes

[235] cfr. e. g. ex epistula ad Bartolomaeum Rostium a. 1620 data: "Calepinum ad manus non habebam, idcirco barbare me loqui non est mirum. Primum non barbare loquitur, qui loquitur amice. Deinde bis falleris, humanissime Rosti: tum quia tibi dialectico putas adhaesisse barbariem, a qua longissime te semper virtus, et natura semovit. Tum quia Calepino tribuis elegantiam, quam Nomenclatoris dissoluta ieiunitas habere non potuit. Esto: non indiligens ille memoriae subsidium philologis, et logodaedalis abecedarium, syllabum confecerit iam pridem extinctae latinitatis. Quid hoc refert ad elegantiam orationis et vitae?" *Posthumae* Bernardini Stephonii S.J. *Epistolae Cum egregio Tractatu De triplici stylo Ad Amicum per Epistolas misso*, Romae 1677, p. 77; alia epistula amicum iocose redarguit quod nihil novi de se atque urbe scripserit, litteras ipsas miserit italice non latine scriptas, quod a se tamquam otioso tragoedias petierit: "Roma nihil novi habet: fabulae: verisimile non est. Famae domicilium, unde multiplex imago repercutitur, et quo gentium omnium accidunt voces, Roma conticuit? Mira narras. Sed esto: diversorium nationum, et humanarum publicum emporium curarum conticuerit: ut quondam ad ictum fulminis in Seripho Ranunculi: publica, privata, forensia, dome|stica, sacra, profana, propinqua, longinqua consederint: ut olim imum oleum in amurca. De tuis certe rebus syllabam, de meis familiaribus semisyllabam latine scriberis? Hic tui Latii sonus est? Haec tui gratia sermonis? Hoc linguae commune commercium Latio affinibus Sabinis [scribebat has litteras Stephonius Mutinae cum amicus eius Benedictus Milanus Romae degeret] Haec tuarum curricula literarum? Quo me degener ad Hetruscos vocas? <ib. p. 20 sq.> Videorne vobis otio diffluere, quibus adeo nihil negotii est, ut ad fallendum animum nostra quoque pervigilia lectitetis? Quin etiam tragaedias [sic] exposcis? O miram hominis securitatem! Ne tu, si hic esses, alia cogitares. Quid efflagitas? Non mitto. Stat sententia: non mitto. Vide, si Deo placet, ut otiosus es. Vel prior aliquid prae manu dato; vel posterior nihil accipito: Nisi severis, non metes." ib. p. 23.

[236] Guglielmo Dondini 1596 - 1678. vide APPENDICEM II.

[237] Tarquinio Galuzzi 1574 - 1649.

[238] Ignazio Bompiani 1612 - 1675. ex oratione q. i. *Romanum Imperium religionis christianae causa fuisse institutum*: "Ut autem primam imperii Romani praerogativam, linguam videlicet unius commercium insinuemus. Convertite si libet oculos in immensam terrarum latitudinem, varietatem provinciarum, populorum discordiam, distantiam Regionum, discrimina Urbium, Oppidorumque infinitam pene diversitatem simul et vastitatem, quis unquam cre-

Laurentius Lucchesinus[239], meliore vena poeta quam orator, et Carolus Bovius[240]. tolerabilis utique Contuccius Contuccus[241], is quidem nihil dotis praefert nisi ieiunam quandam ratiocinationem, atque adeo quo magis exclamationibus atque suspensis sententiis indulget eo plus friget[242]. astrictior Raymundus Cunich[243], nullâ tamen sermonis gratiâ, ligneus prorsus orator[244]. melior utroque Morcellus et omnino

didisset haec per Latini hoc est Romani sermonis foedera potuisse coniungi ad societatem vitae, componi ad obsequium Imperii, conciliari ad militiae leges servandas, connecti ad corpus potentiae sustinendum, et quodammodo animandum unius linguae sono. <·· | ··> Non facile illius imperia e corde excutiuntur, cuius lingua in ore personat. Vox enim vinculum cordis est; eorum mores perferimus, quorum voces proferimus; ut plane ausim dicere Romanos aggressos fuisse Orbem terrarum gladio et ferro, sed lingua et voce latina occupasse, vel occupatum conservasse." Ignatii Bomplani S.J., *Prolusiones rhetoricae sive orationes Habitae in Collegio Romano.* Romae 1662, p. 136 sq.

[239] Giovanni Lorenzo Lucchesini 1638 - 1716.

[240] Carlo Bovio 1614 - 1705.

[241] Contuccio Contucci 1688 - 1768. nimiis eum laudibus fert Marianus Parthenius: "Aliquot habuit Orationes in Collegio Romano, quae publici juris factae [*publici iuris facere* pro *librum edere*, latine non dicitur] in manus hominum pervenerunt, ex quibus praestans auctoris ingenium, et eloquentia singularis aperte declaratur. <···> Omnibus in his orationibus eminet culta quaedam, subtilis, et crebra dicendi ratio, quibus virtutibus hae orationes, tametsi fusiore ac magnificentiore stylo conscriptae non sunt, quam maxime illustrantur." *De Contuccio Contuccio. Commentarius IV,* in: Josephi Mariani Parthenii S.J. *Commentarii,* Romae 1772, p. 98.

[242] cfr. "Atque illud quidem mirum in hoc homine statim objicitur, et ex quadam virtutis veluti contentione natum; quod ingenuis artibus, et optima vitae ratione ita sibi ad honores viam praemunierit, ut iisdem studere omni ope videretur; in ipso vero honorum cursu, quum illos capere facile posset, ita oblitus eorum fuerit, ut ne meritorum quidem suorum meminisset. Quod cujus consili sit, quam excelsi, ac paene divini, facile intelligent, qui sibi e privato vitae genere ad publicam hominum lucem prodeundum esse statuerunt." *De Benedicto Quartodecimo P. O. M. Oratio* habita in Collegio Romano quarto Id. Jan. a Contuccio Contucci S.J. Romae 1741, p. 5.

[243] Raimondo Cunich 1719 - 1794.

[244] cfr. "Florem ipsum aetatis, lubricum illud tempus, ac praeceps in omnes casus, ita traducebat, ut esset omnibus exemplar laboris, continentiae, religionis, innocentiae, pietatis. Eam vitae rationem instituerat, atque ita diem partitus erat, ut pars temporis multo maxima litterarum studiis, hominum utilitatibus, omni religionis officio, Deique cultui tribueretur; parum temporis ad quietem reliquum

astrictae simul et laetae orationis exemplar[245]. Vincentii vero Guinisii

fieret, nihil ad voluptatem." *Clemente XIII. Pontifice Maximo Oratio* habita in Collegio Romano prid. Kal. Sept. ⅠↃⅠↃCCLVIII. a Raymundo Cunich S.J., Romae 1753, p. XI.

245 sic Michaelem Archangelum Principem Caelestium alloquitur: "Honoris tui solium, Michael, apud Caelestes admirati, adeo dignitatis tuae splendore perstringimur, istam ut majestatem mens animi perferre vix possit. quia tamen eximiam decoris tui speciem suavitate quadam adspergis, neque supplicantium cuiquam admissionis spem eripis; liceat nobis adspirare quo vocas, propitiumque te nobis addita alacritas reddat, cujus in tutela adquievimus. tu nimirum auctor mortalibus es laeti|tiae omnis et faustitatis [cfr. "*nutrit rura Ceres almaque Faustitas*" Hor. carm. 4, 5, 18. noli igitur ad hoc vocabulum nasum corrugare, lector. - O. N.], quo scilicet magistro jamdiu didicimus, ne nobis quidem iter illud ad caelum adnitentibus fore interclusum: paratas imo cuique sedes esse, ubi aevo beatissimo perfruamur, extorribus inde teterrimis hostibus, quos ipse triumphator invictus profligaveris." Steph. Antonii Morcelli *ΑΓΑΠΕΑ ΜΙΧΑΗΛΕΙΑ et Tesserae Paschales*, Bononiae 1822, p. XLVII sq. est ubi latiore verborum ambitu vagetur, nec infeliciter: "illud, ut opinor, bene a me factum putabitis, quod ad vos de stilo inscriptionum Latinarum latine scripserim: primum ne vernacula vulgata dictione, quasi enunciatis mysteriis, tota haec paullatim, ut assolet, scientia contemneretur; deinde ut, si qui praeter vos de Latinis titulis ad posteritatis memoriam inscribendis cogitarent, quod ego vestrum munus esse proprium arbitror, nec cum aliis communicandum; scriptione ipsa et stilo admoneretur, quid eos potissimum ad studia haec vestra conatusque afferre oporteret. nam vos certe Latinam linguam tanti facitis, ut in numero vestro non habeatis, si quos sine Latini sermonis usu scrutandam antiquitatem temeritas quaedam aut inconsulta ratio forte traduxerit." *Cultoribus antiquitatis prooemium de ratione operis universa* in: Steph. Antonii Morcelli *De stilo inscriptionum latinarum liber I.* Editio altera auctior et emendatior. Patavii 1818, p. VIIII. et: "Fuit tempus, quum Itali homines bonarum artium studia, quasi vetustate consenuissent, dum novare ipsi volebant, inexpiabili scelere perverterunt. neque ego nimis antiqua commemoro: avorum nostrorum illa aetas fuit. ea aetate, ut cetera mittam, qui titulos et ellogia [sic] monumentorum caussa conficere solebant, ne soli nihil sapere viderentur, ipsi quoque non modo proximae aetatis stilum, sed vel optimas veterum Romanorum inscriptiones contemnere coeperunt. nonnullas etiam retexere quidam ausi, eisque, ut sibi videbantur, speciem lumenque adhibere: novas potissimum condere, nulla lege nisi ingenii sui, nec alia cura, quam ne quid ex veteri stilo retinerent, nisi quid forte de pejoribus aetatis faece haustum placuisset. hinc illa passim in monumentis titulorum ellogiorumque portenta; hinc argutulae in lapidibus incisae sententiae, nullo majorum exemplo; hinc illae sive orationes sive carmina novi generis: quae nos quidem praetereuntes quum legimus, ridere et stomachari; at majores, quum in vestigio stantes perlegissent, dulcedine

male ingeniosas oratiunculas quis sanus ferat?[246] *Allocutiones Gymnasticae*[247] sunt quidem aculeatis sententiis distinctae et circulatoria quadam verborum volubilitate insignes, sed habitus orationis est inurbanus et quidem tum maxime, ubi urbanitatem affectat: camelum saltantem diceres. tamquam luna inter minora sidera splendet eloquentia Iulii Caesaris Cordarae[248]. Marianus

quadam perfusi, admirari ac stupescere solebant: adeo jam adsiduitate rerum novarum sensum omnem humanitatis ex animo amiserant.

Quorsum haec pertinent? ut intelligamus, qui nunc existimationem optimis studiis partam tueri velit, huic nihil in hac facultate prius esse debere, quam ut antiquitatis exempla auctoritatemque sequatur; nec aliis demum e fontibus, quam ex probatissimis veterum monumentis copiam sibi et facultatem scribendi comparet. non hic agitur, ut novis adscitis vocabulis, nos quoque divite lingua beare Latium, aut inusitato aliquo litterarum genere priscis scriptoribus laudem praeripere conemur; sed ut optimos quosque imitando, quod sane magna est in laude ponendum, auream Augusti aetatem pro virili parte reddidisse videamur. id in his litteris unum nobis, qui latine scribimus, datur; id velle, id conari, id assequi etiam, quamquam non sine magno labore, pos|sumus, majora qui audeat, eum ego neque officii sui aut facultatis memorem esse; neque rerum aut temporum jura nosse arbitrabor." ib., p. 1 sq.

[246] at laudat easdem Iacobus Balde, poeta nobilissimus, cfr. "quid Allocutionibus Vincentii Guinisii prudentius?" *Dissertatio De Studio Poetico,* in Jacobi Balde S.J. *Poemata,* Coloniae Ubiorum 1660, t. 3, p. 4. sed Iacobo Balde ut poetae, fortasse ipsa ingeniosa Guinisii improbitas placebat. idem (ib.) Famianum Stradam laudat - sana res est.

[247] Vincentii Guinisii *Allocutiones Gymnasticae,* prim. ed. 1623, ed. auctior Antverpiae 1638.

[248] Giulio Cesare Cordara 1704 - 1785. cfr. e. g. orationem *In instauratione studiorum* Romae habitam: "Nam solis fortasse literis vera honestas et | amplitudo continetur? Quis, nisi forte ignavissimus quisquam, otiique ac deliciarum amator perditissimus, id confirmare audeat? Non equidem sic existimarunt sapientissimi Regnorum Rerumque publicarum Institutores, qui ab armis aeque ac literis publicae tranquillitatis praesidia et firmamenta accersenda putavere. Non ita terrarum Domini judicant Reges, qui literatos perinde viros ac strenuos milites in sinu ferunt ac fovent, quod utrosque sibi utiles, et communi saluti necessarios arbitrantur. Ipsa profecto Religio, qua nihil carius, nihil prius optimo cuique esse debet, male hodie haberet, difficilique admodum loco versaretur, si multis solummodo praeclarisque Doctoribus abundaret, nec totidem saltem bellatoribus contra nefarios barbarorum incursus tueri se posset atque defendere. Age vero: quot cohortes, quot legiones militum optimorum ad Istrum transmitti possent, si vel ex omnibus totius Italiae

Parthenius[249], inter ciceronianos sui temporis non ultima laus, et Antonius Benedictus[250] ...

Palaestris inepti Juvenes educerentur? Quam multi in illo pulvere fierent praeliatores egregii, et fortasse etiam Duces invicti, Imperatoresque palmarii, qui intra hos carceres scholastici sunt contemnendi, solisque scamnis tepefaciendis idonei!" *Opere latine e italiane* dell'abate Giulio Cesare Cordara dei conti di Calamandrana, t. 3: Julii Caesaris Cordarae S.J. *Orationes et carmina*, Venetiis 1804, p. 70 sq.

249 Giuseppe Maria Mazzolari 1712 - 1786. cfr. quid de Carolo Sanctino (Carlo Santini S.J. 1708 - 1761) sentiat, in Rhetorica tradenda collega suo, tum et de se ipso: "In Orationibus pressus erat, limatus, concinnus et subtilis, illudque eloquentiae genus adamarat, quod Isocratea venustate commendatur. Atque hoc ego quidem dicendi genus multo difficillimum semper existimavi. Multis enim ex virtutibus oratoriis, atque adeo ex virtutum ipsarum temperamento quodam efflorescat necesse est, unde suavitas illa emergit, quae incredibilem in modum demulcet aures, atque interdum multo felicius flectit animos, quam imperiosior illa et magniloquentior eloquentia contorqueat. Haec ita scribo, uti ipse sentio. Quanquam, ut vere dicam, ego ab hoc dicendi genere fere refugi summa ejus difficultate deterritus. Sed in hoc sequi naturam, tanquam optimam Ducem, debemus, nec quidquam temere aggredi illa invita ac repugnante. Omnia dicendi genera, quae multa sunt et varia, si ea egregie quis expresserit, propria laude dignantur. Neque enim ego unquam eorum judicium pro|bavi, quibus illud solum, quod ipsi amplexi sunt, orationis genus probatum est." *De Carolo Sanctino. Commentarius II* in: Josephi Mariani Parthenii S.J. *Commentarii*, Romae 1772, p. 63 sq. et ib. de eodem Sanctino: "Numquam delicatiore illa Mexicana potione, cujus usus tantopere nunc invaluit, matutinam inediam levavit; nunquam Arabica faba, nunquam Sinensi folio stomachum fovit; nunquam delicatiores, cujusque generis forent, liquores gustavit, nunquam eo pulvere usus est, qui ad levandam capitis gravedinem adhibetur; nunquam, praeter stata prandio et cenae tempora, quidquam interdiu, uti fit, attigit, nec crustula, nec bellaria, nec placentas, aliasque hujus generis delicias. Cum scribo *nunquam*, hic quoque non exaggerate, sed vere, sed historice scribo. <·· | ··> Fere nunquam fenestrae valvas recludebat, nisi interdum superiores ad puriorem aerem excipiendum gravioremque ejiciendum. Inferiores autem, unde aut transeuntes aspiceret, aut aliquid, quod visendi cupiditatem excitaret, intueretur, reseravit nunquam, ut musculi eo adrepserint, et nidulum construxerint, qui, patefactis a me forte valvis, stridore valvarum perterriti aufugerunt. Usque adeo illis eo loco quietis ac pacatis per Sanctinum esse licebat. Ego vero ridens suos ei gratulatus sum hospites, qui blande subirascens mihi succensuit, quo bestiolis nullam sibi molestiam afferentibus molestus fuerim." p. 68 sq. scripsit praeterea magnificum Electricorum carmen, cfr. exordium:

M. - at idem Parthenius librum de arte critica plane futilem conscripsit[251], ubi cum multa moliretur in argumento a forensi contentione prorsus alieno et Verrinarum impetum in re absimili verborum copia adaequare conaretur, nihil egit, vel potius id non sine istius floridi dicendi generis, quod admirari te video, damno potissimum egisse videtur, ut ostenderet aliud esse verba longius circumducere aliud de re critica apte disserere.

S. - ille, uno sibi tantum Cicerone serviliter ad imitandum proposito, iudicium quoque suum coartavit, quod, si sapimus, dilatandum est nobis atque alendum ex multis fontibus, ut res ipsae quasi ex diversis veritatis speculis acrius observentur. nunc age, reliquos eiusdem Collegii oratores ordine percenseamus. Antonius autem Benedictus ...

M. - nihil est opus. videris enim mihi omnes iam alicuius momenti memorasse, nisi quod Perpinianum obiter tantum indicasti, qui quidem in sermonem tuum propter temporis rationem (vixit enim saeculo XVI) minus cadit.

S. - immo vero, vel maxime. cur temporum vices tamquam legem mihi imponam in oratore eximio? hunc illum ciceronianae eloquentiae

"Unde latens superas virtus educta sub auras
Prodierit, clarum cui fecit succina nomen
Gemma, atque eventus varios, compertaque nuper,
Et miris visenda modis spectacula; nec non
Quae ratio, et tantis quae causa eventibus insit,
Hinc canere incipiam."

Josephi Mariani Parthenii *Electricorum libri VI*, Romae 1767, p. 13.

250 Antonio Benedetti 1715 - 1788.

251 Josephi Mariani Parthenii S.J. *Actiones*, Romae 1772. cum sit liber iste paucarum bibliothecarum, non absque re visum est mihi quaedam ex eius indice oculis subicere: Liber I *De Summa Artis Criticae Difficultate*. Actio I: *De Difficultate Artis Criticae generatim*; Actio II: *De Difficultate Regularum Artis Criticae*; Actio III: *De Argumento, quod vocant, Negante, et de Sacris Traditionibus*. Liber II *De Pravo Artis Criticae Usu* (octo Actiones). *Oratio Singularis De Recto Artis Criticae Usu sive De Vitiis, et Virtutibus Criticorum.*

vindicem ni fata immatura intercepissent[252], dubiam vel Mureto eloquentiae palmam facturum fuisse credo.

M. – age porro! quis non videt Perpinianum tuum nullum legentibus alimentum afferre? quid? apud eum praeter Ciceronis non temere aliud nomen audias. ingenti (quod licet illi facile cedit ut homini exercitato) nisu nihil tamen profert, quam tritissimos sensus. est quidem profluens verborum copia, sed inanis ipse et inanibus semper amplificationibus involutus. lege, si vacat, orationem octavam[253] quam dixit mense Septembri a. 1562 Romae in schola Rhetoricae, cum secundum Ciceronis de oratore librum explanaret.

S. – sed id vitium aetati tribuo. fuit ille iuvenis bonae frugis et si quid nimia fiducia sui fretus exuberantius dixerit, luxurianti aetati condonabis, quod vitium aetate quoque depascitur. est profecto melior in ultimis orationibus quae *De retinenda veteri religione*[254] inscribuntur; eas non sine insigni quadam gravitate egit: scilicet rei magnitudo pondus orationi addebat. plura de Perpiniano dicturus invitus relinquo, cum sentiam tempus nos alio vocare; et satis iam in Collegio Romano versati sumus.

equidem nolo in sermone nostro nimis diligens videri, itaque quoquoversus libuerit, ferar. ex lectione epistularum non mediocris utilitas ad stilum acuendum petitur. optimae sunt Lipsii epistularum centuriae. Gabrielis Naudaei[255] litteras cum fastidio nuper legi; tam futiles sunt verborumque sentina fluentes, ut, hercle, non invenias ubi pes consistere possit[256]. perpaucas tamen epistulas excipio, ut illam lectu dignam qua Petrum Gassendum de obitu Nicolai Fabricii

[252] vixit ab a. 1530 usque ad a. 1566.

[253] Petri Iohannis Perpiniani *Orationes.* <···> *accesserunt orationes* <···> *Presbyterorum Societatis Iesu,* Monast. Westphal. 1602, p. 245 sqq.

[254] orationes XII - XVII, op. cit, p. 318 - 478.

[255] Gabriel Naudé 1600 - 1653.

[256] est Naudaeus omnino inelegans latinitatis scriptor, et iustissime taxat eum Sainte-Beuve: "Le style latin de Naudé laissa toujours à désirer pour la vraie élégance." C.-A. Sainte-Beuve, *Portraits littéraires*, Paris 1882, vol. 2, p. 496.

Peirescii certiorem facit. Ioannis Ludovici Guezii Balzacii[257] epistulae cultae illae quidem et compositae, sed rerum vacuae[258] et sincerae illius latini sermonis gratiae steriles. omnem enim sermonis venustatem in metaphoris alto petitis ponit mireque sibi in iis adornandis placet; quae illi tamen male cedunt neque latinae sunt, utpote francogallicae

[257] Jean-Louis Guez de Balzac 1597 - 1654.

[258] paucas tamen, propter res ab eo tractatas, excipio, ut illam ad Carolum Bervilium (Charles de Berville), cfr. "Pro munere a te accepto gratias ago, quantum possum maximas. Opus est [fortasse Cartesii "*Discours de la Méthode*" innuit] non uno pigmentorum flore et colore distinctum, in quo Philosophia, quae hactenus penes Barbaros morata caruerat iure et honore nostrae civitatis, iam primum Gallicis litteris illustratur. Tu qui multa doctrina es, eaque non vulgari sed interiore et recondita, melius de toto hoc genere iudicabis. Velim tantum amicum moneas, coerceat stilum, aliquando iuveniliter exultantem, resque aestimet non mole sed pondere. Nihil semel dicere contentus, bis terve eadem aliis verbis enunciat; et cum plurimas instituat de rebus gravissimis disputationes, in quibusdam dilatandis longius iusto evectus, satis sibi temperare | non potuit. Hoc vero est, ut aiunt, omnes undique carpere ac delibare flosculos, omnique ex genere orationem aucupari. Quod tamen ut non optimum, sic in iuvene non malae frugis indicium mihi videtur. Amputanda enim plura sunt efflorescenti illi aetati quam inserenda, facileque est remedium ubertatis, sterilia nullo labore superantur. <·· | ··> Fabulam *** [dicit Petri Cornelii (Pierre Corneille) tragoediam quae "*le Cid*" inscripta est] quam non vidi, in amoribus tamen habeo. Multum quippe iuvenis ille mihi videtur grandiloquus, et qui possit proxime accedere ad antiquorum maiestatem, si cura accedat ingenio. Non pauca eius audivi optimae notae, et plena felicissimae sublimitatis. Nec enim crediderim recitatores imposturam fecisse auribus meis, meque grande, quod immodicum, et altum, quod sit enorme iudicasse. Tu autem, praestantissime Bervili, semper-ne vota nostra frustraberis, et eludes aviditatem legendi lucubrationes tuas? Nequaquam tibi religioni esse debet quod profiteris vitae genus, quo minus audeas philosophari; cum non ignores e gente illa togata sagatos in ipsis castrorum fossis et aggeribus operam dedisse sapientiae, solitosque ante Aquilas etiam et imperatoria signa animi gratia declamare. Ne pereant ergo saluberrima dogmata, quibus aegrae errore mentes ad sanitatem revocantur. Amicorum modo votis faveas, audiet Gallia So|cratem pie et Christiane disputantem, nec diutius latebit profuturum saeculis opus. Si tibi in odium bona tua venere, cur invides homo non inhumanus felicitati posteritatis? Vale." Jean-Louis Guez de Balzac, *Livre unique d'épîtres latines*. Avec le texte latin, la traduction, une introduction et des notes par Jean Jehasse et Benard Yon (Images et témoins de l'âge classique, 12), Université de Saint-Étienne 1982, p. 90 - 93.

linguae proprietatibus scatentes[259]. melius profecto totum se in vulgarem sermonem, quem non sine eximia laude coluit, vertisset. benignioris venae sunt Rolandi Maresii[260] litterae: iucundus is est simul et levis (neque admodum eruditus homo erat), licet ipse sui saeculi scriptorum levitatem insectari soleat. taedium tamen movet dum putidissimis sententiis lectores semper meliores reddere gestit atque acuminis defectum leni quadam affabilitate occulere conatur. ceterum genus scribendi floridum coluit, et aliquatenus Plinio mino-

[259] recte hoc monet Olivetus (Pierre-Joseph d'Olivet, *Remarques sur la langue françoise*, Paris 1767, p. 7), qui iudicium istud ex *Menagianis* petisse videtur, vide APPENDICEM III.

[260] Roland de Marets 1594 - 1653. cfr. quae in litteris ad Menagium datis de epistularum scriptoribus sentiat: "Sed ut ad novos veniam, inter illos Politianus mihi | valde politus et elegans videtur. At Erasmi quanquam fere extemporaliter, et ab occupatissimo scriptae epistolae mihi supra modum placent. Praeter eruditionem enim, eloquentiam, et tam in literis, quam in quibusvis aliis rebus prudentiam, quam continent, Lutheranae etiam sectae initia, aliasque res tradunt: quas nescio cur auctor secundum temporis ordinem, qui in literis omnino necessarius est, non digesserit: sed ejus rei causas se habuisse dicit. Josephi Scaligeri epistolae jucundissimae sunt, cum ob elegantiam, tum quod ad viros literatos pleraeque, et de literis, aut re literaria scriptae sunt. Quod ad J. Lipsii epistolas attinet, eae mihi cum Plinianis venustate quodammodo certaturae videntur, nisi mala, cujus auctor esse ambiit, latinitas, ut pleraque ejus scripta, ita etiam eas corrumperet, et infuscaret: tantum acuminis, et argutiarum, tantum doctrinae, tantum moralium documentorum iis passim aspersum est. Hic quosdam, qui se Ciceronianos fortasse immerito et | haberi et dici voluerunt, non attingo, quorum epistolae subputidae mihi videntur, eo quod nihil fere praeter inanem verborum sonum habent, sententias vero frigidas, pauca historica aut ethica, sed de privatis tantum rebus agunt, et ad conciliandam eorum, ad quos mittuntur, aut conservandam benevolentiam fere scriptae sunt. Nam si aliquid historicum et memoria dignum epistolis non insit, aliquid saltem argumentum, quod lectorem alliciat, aut eruditum, et quod διδασκαλίαν habeat, ut inter manus versentur, aut morale aut politicum iis inesse debet. Inter eos Muretum non numero, cujus epistolae elegantissimae sunt, et vere Ciceronianae. Sed de omnium, praesertim recentiorum epistolis commemorare non libet. Vanus enim insuper et infinitus labor esset." Rolandi Maresii *Epistolarum philologicarum libri II. Cum aliquot amicorum ad eum, nec non aliorum Cl. Virorum ad alios, non dissimilis argumenti Epistolis, Curante* L. A. Rechenberg, Lipsiae et Francofurti 1687, p. 233 - 235 (lib. 2, 1).

ri ipse multo minor comparandus. sed de epistularum scriptoribus materies infinita est, nam et Gerardi Ioannis Vossii atque Hugonis Grotii permultae feruntur, et Gassendi Salmasiique infinitae, et occurrunt mihi catervatim innumerae quas Petrus Burmannus foras dedit[261]. quare si haec tibi curae sunt, adi Morhofium, apud quem, quod sciam, amplissimum hoc genus scriptorum catalogum invenies[262].

neque antiquarii oratori spernendi erunt. Samuel Bochartus[263] vir ingenuae simplicitatis atque multiplicis doctrinae, theologiae quidem atque linguis orientalibus magis quam nostris litteris studuit, hoc loco silentio potius praetermittendus quam indigna atque curta, ut ab imperito, laude exornandus. nec Mabillonio[264], ubi occasio se offerebat, stili gratia defuit[265]. ***sed fugit interea fugit irrevocabile tempus, singula dum capti circumvectamur amore.*** video me iam subinde in Francogallorum fines excurrere, ubi vereor, ne idem mihi accidat, quod Italorum ingenia recensenti. age vero, non Collegio Romano Ludovici Magni Collegium, non Sapientiae Sorbonam fortiter opponam? at immensum esset negotium. providendum est mihi

[261] *Sylloges epistolarum a viris illustribus scriptarum,* Leidae 1724 - 1727, 5 voll.

[262] Danielis Georgii Morhofii *Polyhistor litterarius philosophicus et practicus,* Lubecae 1747, t. 1, p. 270 - 320. non inutilis est censura Gregorii Maiansii in eiusdem: *Epistularum libri sex,* Valentiae Edetanorum 1732, p. XI - XVIII. vide praeterea amplissimum catalogum q. i. *Lettres et oeuvres de contemporains de Peiresc et de Saumaise* in: Nicolas-Claude Fabri de Peiresc, *Lettres à Claude Saumaise et à son entourage (1620 - 1637)* éditées par Agnès Bresson, Firenze 1992, p. 437 - 443.

[263] Samuel Bochart 1599 - 1667.

[264] Jean Mabillon 1632 - 1707.

[265] sic eum Claudius de Boze (Claude Gros de Boze 1680 - 1753) in *Eloge de Mabillon* (Paris 1708) laudat: "Vix satis pro meritis laudari poterat Mabillonius: reconditam atque exquisitam eius litteraturam eruditis omnibus produnt edita opera. In iis stylum mirere dilucidum, purum, nervosum, a fuco et ornamentis alienum, nobilem tamen, atque argumentis prorsus accommodatum; eius denique oratio nunquam effluit, nec latius divagatur." ex: Anonym. [= Theoderico Ruinarto (Dom Thierry Ruinart 1657 - 1709) auctore, qui *Vitam* gallice scripsit, in latinum autem (et quidem optime) vertit Claudius de Vic] *Vita Joannis Mabillonii* in: Joannis Mabillon, *Vetera analecta,* Parisiis 1723, p. 31.

praeterea, ne ridiculus fiam, si nimia diligentia in censura utar. quid prodest Contuccio Contucco[266] Iacobum de la Baune[267] opponere? talia igitur triariorum paria non componam: mali oratores ubique gentium similibus vitiis tenentur, quae nosse ut interdum curiosum, ita plerumque taedii plenum est. itaque sentio ad primipilarios atque ipsos eloquentiae duces esse mihi properandum. sed quem primum, quem postea evocabo? itaque ne, priusquam initium capiam, iam ipsa copia quasi praecludar, recta ad delicias meas, ad Gallorum eloquentiae maximam laudem, recta ad episcoporum florem[268], ad Huetium[269] erumpam. sed ecce iam denuo copia laboro cum nesciam doctrinamne viri multiplicem prius an eloquentiam laudem. utcumque se habet, in utraque magnus Huetii animus relucet, doctrinâ sublimis, eloquentiâ affabilis. ille publico grammaticorum commodo consuluit

[266] de quo v. supra p. 88.

[267] Jacques de la Baune 1649 - 1725, professor Regii Ludovici Magni Collegii. cfr. de Ludovico Borbonio: "<…> eo stylo res a se scripturus, quo Caesar, nisi fuisset vel modesto Caesare ipse modestior. Praecipuarum linguarum notitia; nativa et militaris eloquentia, vivida, plena nervorum, sine adscito artis circui|tu, hominem quicumque ageret, statim quo vellet, nullo negotio perducens. Si cum doctis versaretur, non bellatorem, non principem, sed philosophum, sed mathematicum, sed theologum audire te diceres." *Laudatio funebris Ludovici Borbonii Principis Condaei* ... dicta ... a Jacobo de la Baune, Parisiis 1687, p. 29 sq. is loquitur quidem semper sensus usque ad nauseam tritos, sed dispositione plus valet quam Itali, atque oratio plus solidae, ut ita dicam, materiae habet: omnino dicas Francogallos iesuitas plus marmoris splendorisque, Italos vero iesuitas plus pigmentorum atque vilioris materiae habere.

[268] hac enim laude (cfr. C.-A. Sainte-Beuve, *Causeries du lundi*, Paris s. a., vol. 2, p. 181), exornabatur Huetius a Richardo Brunckio (Richard-François-Philippe Brunck 1729 - 1803), viro – siquidem ubique sententias censorias spargere iuvat – ingenioso potius quam erudito, latine mediocriter docto.

[269] Pierre-Daniel Huet 1630 - 1721.

auctorum indicibus componendis[270], privatim multos consilio et opera iuvit, posteris denique nobis ostendit quid perfecta eruditio esset. me tamen maxime melliflua quadam cepit orationis mediocritate, quae quidem optime rerum, in quibus versabatur, varietati respondet: tam nihil arcessitum nihil alte petitum invenias in periodis se invicem usque ad infinitum excipientibus, tam omnia inter se connexa et indiscreta mireris. qua quidem in re Lipsio maxime contrarius extitit. sed illud maxime admirabile fatis datum est Huetio - quod a diis rarissime mortalibus conceditur - ut ille et iuvenis florentes et senescentes senex litteras videret; etenim adulescentulus admodum cum in Salmasii contubernium acceptus esset, quid nisi ipsum litterarum scaturientem fontem vidit? quare cum diceret, se et iuvenem florentissima adhuc litterarum studia virosque vere eruditos vidisse et senem litteris ipsis misere conclamatis atque sepultis, cum nemo iure eruditus amplius dici posset, quasi supervixisse, id nonne iure

[270] Huetius auctor fuit, ut indices vocabulorum omnium singulis auctoribus subiungerentur, ex quibus deinde totius Latinitatis index fieret. eo nomine laudat Huetium Petrus Baelius in periodico *Nouvelles de la République des Lettres*, m. oct. a. 1684 (Pierre Bayle, *Oeuvres diverses*, La Haye 1727 (Repr. avec une introduction par E. Labrousse, Hildesheim 1964) t. 1, p. 143). sed ipsum virum audiamus: "Quod vero singuli Auctores prodierunt succincti Indicibus, non vulgaribus illis, qui eximias tantum res aliquas aut verba, sed quae vocabula omnia universe repraesentant, me uno auctore factum est. Jampridem enim rei utilitatem magno meo commodo fueram expertus, in iis pertractandis Indicibus, qui ab eruditis hominibus in Graecos Romanosque Auctores fuerant concinnati <···> Imprimis vero longo compereram usu, quantum emolumenti percepissent viri sacrarum literarum studio dediti ex iis Indicibus, qui sub Concordantiarum titulo in Ebraica, Graeca, et Vulgata sacrorum librorum exemplaribus lucubrati circumferuntur; ac propterea si in Scriptoribus saltem Latinis latius pateret ratio, quae tractabiles | efficit Auctores, et ad usus nostros accommodat, opportunum hoc futurum iis iudicabam, qui in literis versantur. Sed et aliud quiddam longe majus in his parandis volvebam animo, nempe purae Latinitatis finium ac veluti pomoeriorum circumscriptionem. Quae cum omnis Scriptorum classicorum continerentur universa ipsius vocabula; tum deinde ex singulorum privatis Indicibus generalis conflaretur Index, futurum id erat totius Latinitatis integerrimum penu; et quidem ita compositum, ut quaecunque se vox offert,

quodam suo affirmasse videretur?[271] ne longior sim, amo hominem atque Huetii memoriam aurei illius *Commentarii* lectione quotannis recolere soleo. hoc libro nihil apud Francogallos melius[272].

ejus ortum, usum, interitum, vel progressum, Indicis hujus generalis ope, facile cognovisses. Verum rem a multis probatam et expetitam nonnulli, praeter expectationem meam, vehementer aversati sunt, ipsi videlicet Commentariorum opifices, ingrati quippe laboris magnitudine deterriti; tum et Librarii sumptus et impensas veriti, quos aut incertum, aut non satis grande lucrum sequeretur. Sed pervici tamen, nec destiti *Aere | ciere viros, Martemque accendere cantu,* quaad de Serenissimi Delphini nuptiis agi coeptum est. Tunc enim conticuerunt litterae illae aulicae, quarum impensae plusquam ducenties mille libris steterunt. Quamvis autem omnis a me adhibita est diligentia in seligendis perspectae doctrinae viris, quibus veterum Auctorum commentariis instruendorum cura demandaretur, nonnulli tamen vel levius quam putabam tincti literis, vel impatientes laboris, quam mihi commoverant expectationem sui fefellerunt; quid dissimulem? adeo ut nequaquam par fuerit Operum omnium dignitas. Nec mirum sane in hunc juvenum numerum, tum primum suam periclitantem industriam, irrepsisse nonnullos ex inferiori Eruditorum gradu, qui ea posse docere alios crederent, quae nondum satis ipsis didicissent: nimio plus enim arrogare sibi aetatis hujus vitium est." Pet. Dan. Huetii, Episcopi Abricensis, *Commentarius de rebus ad eum pertinentibus*, Amstelodami 1718, p. 288 - 290. novissimis verbis pestem adumbravit Huetius, quae Francogallorum gentem insequenti quoque saeculo misere exagitabat. eius rei testis est Ioannes Dusaulx (1728 - 1799) homo amoeni ingenii atque recti iudicii: "Pour le [Casaubonum dicit] contredire dans ce qui étoit particulièrement | de son ressort, il faudroit être plus savant qu'il ne l'étoit; ce qui n'arrivera de long tems, si le besoin de produire avant d'avoir acquis les alimens de la pensée, continue à dénaturer notre Littérature." *Satires de Juvénal traduites par* M. Dusaulx, Parisiis [2]1782, p. clviii sq.

[271] haec enim dicere solebat: "Quand je suis entré dans le pays des Lettres, elles étaient encore florissantes, et plusieurs grands personnages en soutenaient la gloire. J'ai vu les Lettres décliner et tomber enfin dans une décadance presque entière; car je ne connais presque personne aujourd'hui que l'on puisse appeler véritablement savant. Je puis donc dire, que j'ai vu fleurir et mourir les Lettres, et que je leur ai survécu." *Huetiana, ou pensées diverses, de M. Huet*, Paris 1722, p. 1.

[272] sic de eo iudicat Gesnerus: "Suavissima est, et Romanensis fabulae instar vita Huetii, Petr. Dan. Huetii *Commentarius de rebus ad eum pertinentibus* <···>. Fontenelliana Elogia adhibeo, cum aegroto. Sunt ea facilitate, diluciditate, et suavitate, ut dimidia attentione intelligi possint." Io. Matthi. Gesneri *Primae lineae isagoges in eruditionem universalem nominatim philologiam, historiam et philosophiam*

hic mihi alio properanti manum inicit Salmasius[273], vir infinitae lectionis, quo hominum memoria nemo umquam doctior, si a Varrone illo discesseris, vixit[274]. scio, quosdam fuisse qui Salmasium hominem

in usum praelectionum ductae. Accedunt nunc praelectiones ipsae ad commentarios auctoris recensitae et auctae per Io. Nicolaum Niclas, Lipsiae ^{2}1784, t. 1, p. 512. facere non possum quin curiosi operis gustum legentibus offeram: "<...> ferenda ei [sc. Claudio Salmasio] erat mulieris intemperies, et ad eius ingenium accomodare se cogebatur, non patienter modo, sed et nonnunquam indecore. | Velut cum suscepit iter Suecium, tumque hominis aetas, et vitae institutum, habitum postularent modestum et simplicem, huiusmodi illa vestitum, tanquam ignobilem et plebeium aversata, militari cinctu personatum in aulam Suecicam prodire voluit, thorace indutum e bubali corio, manicis, braccis e panno coccineo, gestantem capite pelusum cinerei coloris, penna candida protectum; atque ita exornatum se produci passus est in publicum. Angebatur praeterea femina impotens, si quem ad secretos viri sui et familares congressus admissum videbat; quod ipse ego expertus sum: si quando enim solos nos colloquendi causa in secessu delitescere intellexerat, irrumpebat illa continuo, caussasque petebat ex alto, cur nos tam intempestive obturbaret.

Inter jucunda haec colloquia narrabat mihi Salmasius, toto hoc anno, quem Holmiae transegerat apud Christinam Reginam, se podagra oppressum decubuisse, sibique supervenisse aliquando Reginam, cum temporis et doloris fallendi caussa libellum legeret, perfacetum quidem, at subturpiculum, cuius | Auctorem ferunt Franciscum Beroaldum Vervillam, praefixo hoc titulo, *Rei faciendae ratio* [sensu obsceno intellegendum: "rem sc. veneream facere", "patrare"]; se eum diligenter inter stragula occultasse, ne manus injiciens Regina obscoena lectione offenderetur; nec ejus tamen omnia circumspicientis argutum et curiosum oculum effugisse; atque illam arrepto statim et aperto libello, et perlectis saltuatim versibus aliquot subrisisse ad jocosas nequitias, et vocatae ad se Sparrae, nobili et formosae puellae, quam habebat in deliciis [notum est Christinam tribadem fuisse.], certos quosdam indicasse libri locos, quos sibi praelegi vellet ab ea, quantumvis renitente, multoque pudore ac rubore suffusa, solutis in magnos cachinnos omnibus adstantibus. Utque totius rei historiam accuratius pernoscerem, libellum conquiri jussit Salmasius apud Bibliopolas Leidenses, et eleganter compactum dono ad me misit." Pet. Dan. Huetii, Episcopi Abricensis, *Commentarius de rebus ad eum pertinentibus*, Amstelodami 1718, p. 126 - 128.

[273] Claude de Saumaise 1588 - 1653.

[274] cfr. in *Patinianis*: "Scaliger écrivoit à M. de Saumaise, lorsqu'il n'avoit encore que seize ans, et faisoit dèja grand état de lui; pour moi je crois, mais je n'oserois le dire *dicam tamen sed tibi*, que Saumaise est le plus sçavant homme de l'Europe, et qu'il en sçait plus lui tout seul, que jamais n'en ont sçu Scaliger et Casaubon tous deux ensemble." *Naudaeana et Patiniana, ou singularitez*

morosum atque praefidentem sibi dicerent[275]. turpi haec ei errore obiciuntur, cum Salmasio in communi vita nihil humanius nihil amabilius fuerit[276]; sed idem simul se ad scribendum contulerat, quod publice ederet, nil nisi rixas et proelia spirabat. haec culpa quo minus valeat, mores saeculi patrocinantur; illud gravius, quod illi obiici solitum est, plurimam quidem apud eum doctrinae copiam esse, sed omnia nullo delectu habito, temere sacco fundi atque sermone lutulento fluere[277]. quid mirum? Salmasio, quem multa scripsisse plura legisse accepimus, tempus ad corrigendum defuisse mirum

remarquables, prises des conversations de Mess. Naudé et Patin, Paris 1701, p. 6.

[275] cfr. "Mr. de Saumaise estime beaucoup Pline, et confesse qu'il avoit un beau génie, et une merveilleuse élegance dans l'expression, mais qu'il écrivoit trop nonchalamment et avec une espèce de sécurité. Mr. de Saumaise touche là un vice, dont lui même n'étoit pas tout-à-fait exempt; car les grands Critiques lui reprochent qu'il avoit une si bonne opinion de lui même, et une si grande confiance en son esprit, qu'il ne croyoit pas que rien manquât à ses premieres saillies; enfin qu'il estimoit que toutes ses pensées étoient sanctifiées des le ventre de leur mère. Cela faisoit qu'il ne daignoit pas repasser sur ses Ecrits." Pierre Bayle, *Oeuvres diverses*, La Haye 1731 (Repr. avec une introduction par E. Labrousse, Hildesheim 1968) t. 4, p. 525. *Colomesiana* testantur non defuisse Salmasio – iusta, hercle, – sui fiducia: "Mr. Vossius m'a dit que Messieurs Gaulmin, Saumaise et Maussac se rencontrans un jour à la Bibliotheque Royale; le premier dit aux deux autres, "Je pense que nous pourions bien tous trois tenir tête à tous les Savans de l'Europe." A quoi Mr. de Saumaise répondit, "Joignez à tout ce qu'il y a de Savans au monde, et vous et Mr. de Maussac, je vous tiendrai tête moi seul."" *Scaligerana, Thuana, Perroniana, Pithoeana, et Colomesiana...*, Amsterdam 1740, t. 1, p. 532. falsa confidentiae fama apud posteros pervicit, cfr.: "sed insignis eius doctrina cum bonis moribus haud coniuncta fuit, quoniam extitit immodicus sui aestimator aliorumque contemtor." Jo. Georgii Walchii *Historia critica linguae latinae*, editio tertia iterum multis accessionibus aucta, Lipsiae 1761, p. 646. ceterum Salmasium minime arrogantem fuisse, testatur Huetius (*Commentarius de rebus ad eum pertinentibus*, Amstelodami 1718, p. 126).

[276] cfr. e. g. "J'ai connu M. Saumaise fort particulièrement, il me venoit voir assez souvent. C'étoit l'homme du monde le | plus agréable dans la conversation." *Menagiana*, Paris 1729, t. 2, p. 75 sq.

[277] cfr. e. g. "il avoit ce défaut en écrivant, qu'un passage en attiroit un autre, et qu'il ne pouvait finir à force de citer." ib. p. 76.

non est. quae cum ita sint, salva eruditionis fama, fatendum est tamen facultate pure et emendate scribendi Salmasium destitutum esse. equidem video Salmasii laudes vel vituperationem aliqua ex parte coniunctas esse Ioannis Miltonii poetae celeberrimi famae. mihi quidem libri Salmasii pro Carolo Primo et Miltonii responsa, latrantis cuiusdam et barbare laboriosae eloquentiae opera, minime arrident[278].

♦

[278] ne magnis viris usque gravarer, locos elegi, qui paulo disertiores mihi videbantur: "Regis exanime corpus diu jacuit omnibus expositum ad videndum. Sed quo modo? An gratis ac sine mercede visere cupientibus licuit? Immo pretium statutum, sine quo non liceret ad inspiciendum accedere. Primo quatuor solidis taxata spectandi licentia, postremo vel uno dato admissi sunt qui oculos satiarent, qui sanguine ejus vel sanie potius imbuta sudaria domum referrent. Utrum ad ludibrium an ad memo|riam rei? ludibriosam utique, nisi hoc fecerint, ut in martyribus suis olim factitavit antiquitas, quorum sanguinem servabat, ut miraculis serviret." Anon. [= Claudii Salmasii] *Defensio Regia Pro Carolo I. Ad Serenissimum Magnae Britanniae Regem Carolum II Filium natu majorem, Heredem et Successorem legitimum*, s. l. 1652, p. 27 sq. ardentius, quamquam semper ex fumo, ignescit Miltonius. sic enim ab eo Salmasius vapulat: "Tu quis es qui oblatras? an doctus? qui spicilegia, qui lexica et glossaria ad senectutem usque trivisse potius videris, quam authores bonos perlegisse? unde nil praeter codices, et varias lectiones, et luxatum et mendosum, crepas; doctrinae solidioris ne guttulam quidem hausisse te ostendis. An tu sapiens? qui de minutiis minutissimis rixari et mendicorum bella gerere soles, qui nunc astronomis, nunc medicis in sua arte credendis imperitus ipse et rudis convitia dicis; qui, siquis tibi voculae unius aut literulae in exemplari quovis abs te restitutae gloriolam praeripere conaretur, igni et aqua, si posses, illi interdiceres? Et tamen stomacharis, et tamen ringeris, quod omnes te Grammaticum appellant. <·· | ··> tu literatus sine doctrina; qui tot linguas calles, tot volumina percurris, tot scribis, et tamen pecus es." Ioannis Miltoni Angli *Pro Populo Anglicano Defensio, Contra Claudii Anonymi, alias Salmasii, Defensionem Regiam*, Londini, 1652, p. 26 sq. sed haec eruditis auribus utcumque tolerabilia. quid si in eadem causa Ioannem Bramhall (John Bramhall 1593 - 1663) theologum celebrem audias?: "Ne insaniens Cacodaemon Iohannes Miltonus, (non Anglus, sed Anglorum Dedecus,) magis insaniret, si omnes dedignarentur respondere suis Dicteriis, Convitiis, Mendaciis, Blasphemiis (haec enim est genuina partitio quam putidissimi Libri sui,) aut nimis gloriaretur quod Nemo possit, vel potius auderet metu Patronorum suorum, quorum ipse Patrocinium et Defensionem suscipit, (populi ut refert Anglicani,) quorum et Nomen et Insigne in fronte gerit (tanquam foenum in Cornu) ut cuncti sibi caveant, Asinus ad Lyram, Rostro adunco, Cruce dignus *etc.*" [Ioannes Bramhall] *Pro rege et Populo*

retro flectendus est orationis cursus. in historicis bonus auctor est Iacobus Augustus Thuanus[279], eo nomine mihi maxime laudandus, quod, cum oratio eius placide progrediatur, lectorem tamen semper intentum tenet, quae laus eo pluris aestimanda, quod eandem in historicis nemo Francogallorum iure suo vindicare potest. Scaevola Sammarthanus[280] ridicule ampullatur in libris elogiorum[281] (sit venia verbo) virorum illustrium, qui praeter vanissimum floridae venustatis studium nihil dotis praeferre possunt[282]. sed video me iam denuo nimis vetera atque antiqua repetere.

M. – neque eo solum vitio laboras, nam et pugnantia secum sentire videris. etenim tibi ipse contradicis, cum Sammarthanum carpis, qui Paulum Iovium libenter etiam lectitare soleas. at is simillimis Sammarthano vitiis tenetur: eandem vanitatem, easdem ampullas ubique deprehendas.

S. – sed non eandem gratiam. fateor vanissimum homuncionem fuisse Paulum Iovium, sed ille si quid improbe audet, feliciter audet. sed quid me vetera usque sectari cogis? aliquando et ad recentiores transeundum.

Anglicano Apologia, contra Iohannis Polypragmatici, (alias Miltoni Angli) Defensionem destructivam, Regis et Populi Anglicani, Antverpiae 1652, f. 2v.

279 Jacques-Auguste de Thou 1553 - 1617.

280 Scévole de Sainte-Marthe 1536 - 1623.

281 *Elogiorum libri quinque* in: *Scaevolae et Abelii Sammarthanorum Opera,* Lutetiae Parisiorum 1633 (ed. anast. Genève 1971), (t. 1), p. 1 - 163. ut obiter ridiculum sane Ioannis Sandys errorem ("a book of eulogies in Latin elegiacs on no less than 150 Frenchmen distinguished for their learning" John Edwin Sandys, *A History of Classical Scholarship,* Cambridge 1908 (ed. anast. New York 1958), vol. 2, p. 198) perstringam, videre licet libros *Elogiorum* prosa, non versa oratione conscriptos; cuius erroris causa a laudatione Petri Ronsardi (vide Sammarthani *op. cit.* p. 86 - 87) fluxisse videtur, quae est elegis facta.

282 aliter temporum illorum auctores senserunt, qui dulcedinem eius exosculantur, cfr. e. g. "Scaevolae Sammarthani suavissima Musa." *Prima Scaligerana,* Ultrajecti 1670, p. 90; "succre [sic] de Saincte-Marthe" *Les oeuvres de Monsieur* de Balzac, Paris 1665, t. 1, p. 531.

M. – ut ego te, improbe, cogam? verum perge, valde quam fabellis tuis ducor.

S. – Renatum Rapinum[283] in *Hortorum libris* admiror; idem in prosa oratione minor: ad id enim aptus natus non erat, ut numerorum Veneres in illam transfunderet. sed hoc vulgatum: poetas in prosa oratione saepissime minus valere; ut sublimitatem Sarbievii in soluta oratione requiras[284]; et contra, suavissima illa σεμνότης Lipsium in carminibus destituit. Miltonii orationes in honorem *Paradisi amissi* legimus; Santolius[285] in carminibus suavis, prosa oratione durus[286]; Huetii quidem versibus nihil tersius limatiusve, sed flammas pectori Musae negarunt[287]; eaedem Fraguierio[288] benigniores, cui in dissertationibus vis eloquentiae defuit[289]. eorum vero magnus numerus omni aevo durat, qui pari infelicitate prorsa iuxta atque vorsa oratione sunt; ut in Vincentio Guinisio[290] non facile dixeris qua potissimum

283 René Rapin 1621 - 1687.

284 in epistulis vero tam abiectus est, ut vel Stanislao Lubienski, homini obscuro nec tamen prorsus illiterato, postponendus videatur (quod ex epistularum commercio inter Sarbievium et Lubienski satis facile quis videat, *Korrespondencia Macieja Kazimierza Sarbiewskiego że Stanislawem Lubienskim*, ed. Jerzy Starnawski, Varsoviae 1986.

285 Jean de Santeul 1630 - 1697.

286 cfr. e. g. "Has ergo nugas, patere, Vir Illustrissime! et hoc fragili pignore veteris amicitiae stabilitatem testari liceat; aliquando magna juvat parvis adumbrare: pueriles calamos heroici tubarum sonitus brevi excipient, tibi levioribus argumentis ad majora proludimus, hancque lepiditatem jocosi carminis abunde excusabunt dictanda majore Deo Poemata." *Santoliana ... La vie se Santeul ... ses Lettres, ses Inscriptions* ..., Paris 1764, p. 319.

287 quamvis laudentur a Bertrando Fenelone (Bertrand Fénelon) et Spiritu Flecherio (Esprit Fléchier), viris laudatis. cfr. *Lettres inédites de madame de* La Fayette *etc.*, ed. C. Henry, Paris 1879, p. 93; 103 sq. sint sane versus Huetii, sicut sunt, dilucidi atque latini (neque aliter expectandum erat a tanto viro), carent tamen omni vi poetica.

288 Claude-François Fraguier S.J. 1666 - 1728.

289 cfr. praeterea: "Quales latini Poetae, Victorius, Sigonius, Muretus, Perpinianus, Manutii extiterunt? nonne mediocres? At Oratores valde iidem boni. Sannazarius, Fracastorius, Bargaeus, Hoschius, aliique complures Oratores vix tolerabiles, at Poetae valde quidem probandi vel in eodem, vel in dissimili carminis genere fuerunt." Hieronymi Lagomarsini S.J. *Orationes publice dictae Florentiae ab ipso auctore studiorum ibidem praefecto*, Augustae Vindelicorum 1763, p. 38.

290 de eo v. supra p. 74 et 89.

ex parte sit ineptior[291]. curiosis argutiis commendabilis est Commirius[292], copia verborum et imaginum in prosa etiam oratione poetam referens[293]. de Sanadonis[294] nobilis poetae solutae orationis scriptis, quid dicam, satis explicare non possum: legi enim adhuc perpauca quaedam. itaque Harlesii te saltem iudicio non fraudabo, cuius summa

[291] sic Guinisius poetatur (argumentum est Iesus nascens):

"Sic nigro solet in luto
Saepe luxurians onyx
Aut carbunculus oculi;
  Pressusque licet,
  Mersusque licet,
Lucet ambitiosius <···>
Vide candidulos sinus,
Vitae perfugium meae,
Cordis hospitium sui,
  Vide tempora,
  Vide pectora.
Nihil, crede mihi, vides:
Sunt pulcherrima quae latent. *etc.*"

(*Poesis lyrica*, ode 1, 71 sqq. in: Vincentii Guinisii S.J. *Poesis Heroica, Elegiaca, Lyrica, Epigrammatica* <···> *item Dramatica*, Antverpiae 1637, p. 182). vere beati quos tale odarion beatos facit.

[292] Jean Commire 1625 - 1702.

[293] cfr. e. g.: "Quis autem iste alter perlucens et inanis totus? Pondus non habes, bone vir: opus est arte qua vitrum tuum dissimules. Tinnis tamen et acutum sonas: sic potes fallere et decipere incautos. Age utere facultate garriendi tua; multis enim loquacitas conciliat nunc famam et existimationem doctrinae. Quare pervium hoc et perlucens vitrum stipetur, et quasi obstruatur multa serie librorum, quorum titulos et argumenta memoriter teneas: citesque identidem quo quisque anno sit typis excusus; Basileae an Venetiis, Romae an Lugduni, Aldi an Frobenii praelo? Delibandae praeterea controversiae celebres doctorum, de tribus capitulis, et synodo Sirmiensi, de Constantini baptismo ejusque diplomate: postremo loci insigniores utriusque historiae notandi, quos ad pompam et ostentationem tractes in mulierum aut imperitorum coetu. Hos enim judices, arbitrosque habebis; nec te applicabis ad genus illud sapientum e schola, gravium hominum et cervice dura, ne futile vitrum cum sonitu dissiliat. Quod si necessitate aut casu aliquo in illos incurres, non cominus et presso pede dimicandum, sed eminus et quasi fugiendo; ictus non clypeo excipiendi, sed vitandi levi declinatione. Joci, sales, acute dicta, sic tanquam jacula in adversarium effundenda per vices. Denique in garrulitate adversus sapientiam, in cavillatione adversus aequitatem, in audacia adversus constantiam praesidium quaeratur; numerus in suffragiis spectetur non pondus et gravitas: si vincere non potes ratione, vince clamoribus. Argumentum enim victoriae est judicio plebis, nolle cedere." *De arte parandae famae oratio*, in: Joannis Commirii S.J. *Carmina*, Lutetiae Parisiorum 1714, t. 1, p. 401 sq.

[294] Noël-Étienne Sanadon 1676 - 1733.

haec est: "Fuit enim Sanadonius, quantum ex ejus scriptis coniicere licet, magna acie iudicii, multa suavitate, at magna quoque luxurie ingenii, quod, quid pulcrum esset, quid venustum, facile sentiret atque explicaret: Interdum tamen nimium delicatus et Gallus venustulus: probabilis orator, et bonus poeta, qui virtutes veterum in diversis generibus haud pingui Minerva exprimeret"[295]. quantum ex oratione quae inscribitur *De mala ingeniorum contagione vitanda* coniectare mihi licet, magnam illam "ingenii luxuriem" atque "suavitatem" de Harlesii censura detraxerim, florido laetoque Sanadonem dicendi genere excellere sane concesserim, addiderim iudicio eum aliquanto plus valuisse quam plerique eiusdem Societatis oratores[296].

[295] *De vitis philologorum nostra aetate clarissimorum* auctore Theoph. Christoph. Harlesio, Bremae 1772, vol. 4, p. 60.

[296] cfr. e. g.: "Quid habet Gallia ad eruditionis commendationem illustrius superiore seculo? Nostra sunt illa decora, nostra felicitas. Cornelios, Molerios, Fontanos mirabitur posteritas omnis; Buhursios, Burdalovios praedicabit; nobis una cum illis vixisse, illorum adspectu et consuetudine perfrui concessum est: consulet illorum scripta, quorum sermonibus imbuti, instigati exemplis, institutione exculti, opibus ditati sumus.

Neque nos tot summis viris orbatos penitus destituit ami|ca literarum fortuna. Vivunt etiamnum ex illa claritate superstites non pauci, quorum praesentia gloriamur, usu et doctrinis adjuvamur. Quantam bonis artibus sanitatem, quantum splendorem adtulit ille Gallicanae ecclesiae antistes? [Huetium dicit] universae literaturae consultissimus, nemini ignotus nisi qui literas aut ignoret, aut mereatur ignorare; qui, abdicato licet pastorali munere, Christianam tamen literariamque rempublicam eximiis ingenii monimentis ornare non desinit. Quas ille disciplinarum partes non attigit, non exploravit, non excoluit? Suum clamat esse mathematica, suum philosophia, | suum theologia; in quibus obscurissima quaeque detexit, pervidit minutissima, altissima superavit: prorsus ut, quum eum sibi alumnum singulae vindicent, cujus potissimum sit ambigatur. Neque facilius statuero cui maxime regioni, linguae, aetati sit adtribuendus, qui orbem ipsum mente peragravit, temporum omnium notitiam memoria comprehendit, linguam Latinam, Graecam, Ebraicam, finitimas pene omnes usu ipso didicit. Quas vero scribendi formas non expressit? Tullianam sinceritatem in oratione soluta, in versibus Ovidianam amoenitatem, felicitatem Horatii curiosam, elegantiam Lucretii

quatenus ex omissis repeto, non oblivione sepeliendus videtur Petrus Godinot[297], qui in aliquo oratorum numero haberetur, nisi morte acerba iuvenis spem sui destituisset. Henricus Valesius[298], vir auctoribus edendis emendandisque natus, in tenui genere bonus[299].

difficilem. Virum prope non unum eumdemque dixeris, sed multiplicem; adeo multas animo disciplinas complexus est, quarum singulae singulos possent illustrare." *De mala ingeniorum contagione vitanda oratio, habita Lutetiae Parisiorum, in regio Ludovici Magni collegio societatis Jesu,* A Natalistephano Sanadone, *ex eadem societate. VI. decembris an. M.DCC.XIII.*, Lutetiae Parisiorum 1714, p. 62 - 65.

graphice malos sui temporis oratores describit: "quum nostri passim oratores, neglecta illa virili eloquentia, quae in permovendis animis ciendisque adfectibus occupata est, dant se totos aurium oblectationi, comtulas meretricularum more orationes adferunt, acutulum consectantur dicendi genus, sermonis lautitias, Veneres, lenocinia aucu|pantur, seque tum maxime putant summam in arte sua laudem consequutos, si ludicra sententiolarum collisione, argutulis epigrammatum conclusiunculis, exposita denique omni elegantiarum supellectile plausum ab insulso auditore obtinuerint." ib. 34 sq.

297 Pierre Godinot 1652 - 1693. cfr. e. g.: "Quo quid illustrius fingi aut excogitari potest? hosti flagitanti pacem concedere, inusitatae fuisset bonitatis: nec flagitanti offerre, inauditae clementiae: at vero eundem cum velit pugnare, cum possis vincere, bello non persequi, sed ad pacem compellere: illud demum longe maximum est, | ac Ludovici Argentinam occupantis proprium." *Magnum ab Argentina Ludovicum Argentinam a Ludovico Magnam oratione panegyrica* demonstrabat Petrus Godinot S.J. anno 1685, Argentinae, p. 12 sq.

298 Henri de Valois 1603 - 1676.

299 cfr.: "Quaeret hic a me fortasse quispiam, qua tandem via ac ratione potuerit Petavius ad tantae eruditionis culmen pervenire. Enimvero homines incredibili quodam acumine ingenii et excellenti natura praeditos, cujusmodi Petavium fuisse constat, supra alios eminere et ad summa quaeque eniti nemini mirum videri debet. Accessit ad tantam vim ingenii vehemens studium et assidua contentio laboris. His enim duabus, ut ita dicam, alis subvectae magnorum hominum mentes ceteros mortales longe prae|tervolant, et aureum Jovis currum, ut ait divinus Plato, indefesso volatu comitantur. His igitur praesidiis succinctus Petavius, ea praestitit in omni genere litterarum, quae omnis nobiscum posteritas admiratura est. Sed est aliud praeterea quidpiam, quo maxime adjutus et difficultates omnes oppositas facile superavit, et palmam verae solidaeque doctrinae celeriter est consecutus. Quidnam vero illud est? ordo scilicet, et certa ratio instituendorum studiorum, quam Graeci μέθοδον appellant. Quod cum leve quiddam et exiguum prima fronte appareat, est tamen ejusmodi, ut omnis fructus even-

tusque studiorum ex eo propemodum uno pendere videatur. Ut enim absque acus nauticae praesidio longinquam navigationem suscipere nihil aliud est, quam ad certissimum naufragium properare: sic qui ordine ac methodo destituti vastissimum illum disciplinarum Oceanum ingrediuntur, ii numquam sperare debent se ad desideratum Sapientiae portum navem esse appulsuros. Unde enim, quaeso, fieri existimatis, ut cum multi reperiantur et ingenio praestantes et laboris patientissimi; pauci tamen magnos progressus in litteris faciunt: nisi ex eo quod studia nostra temere ac fortuito, non certa ratione disponimus, et desultoria quadam levitate per omnes disciplinas volitamus potius quam decurrimus. Itaque inordinate properantes id tantum assequimur, ut a proposito itinere longius aberremus.

Non ita Petavius: qui studia sua certo semper ordine dimensus est; quippe qui intelligeret, ea, quae ordine instituuntur, minore laboris ac temporis impendio perfici, nec solum citius et commodius absolvi solere, verum etiam rectius. Primum itaque a Grammatica tanquam a Vesta, quod aiunt, exorsus, linguae Graecae ac latinae singularem sibi peritiam comparavit. Idque ex plurimis veterum scriptorum libris, quos partim ex Graeco in Latinum, partim ex Latino in Graecum sermonem transtulit, perspicue apparet. Graece quidem adeo expedite loquebatur, ut Athenis natum esse diceres. Latine vero loquentem et in schola publice docentem quisquis audivit, fateatur necesse est nihil audiri potuisse jucundius. Nam praeter illum Romani eloquii nitorem, aderat distincta pronuntiatio et gratissimus quidem vocis sonus." *Oratio in obitum Dionysii Petavii S.J. theologi* habita a. 1653 auctore Henrico Valesio in: Aemilius Springhetti, *Selecta latinitatis scripta auctorum recentium (Saec. XV-XX)*, Romae 1951, p. 306 sq.

"Quemnam igitur Puteano nostro parem unquam extitisse censetis, quem tot tantisque animi dotibus ornatum? Nisi forte Pomponium Atticum conferre lubet. Hic enim perinde nobili loco natus, cum nullos non Magistratus | Romae assequi posset, tamen ab honoribus constanter abstinuit, et otium suum in literis, et in historiae Romanae, nobiliumque familiarum cognitione traduxit. Par etiam in utroque beneficentia, nisi quod Atticus plures pecunia sublevavit, Puteanus vero tantum gratia. Est autem tanto majus gratia quemquam adjuvare, quanto plus plerumque gratia efficitur quam pecunia. Et pecunia quidem adjuvare inferior superiorem potest: gratia nisi superior non potest. Caeterum neuter beneficia sua venditare solitus: malebantque praestare operam amicis, quam polliceri. Verumtamen hoc mihi superior Attico Puteanus videtur, quod nec conjugalibus vinculis, nec tanta rei familiaris cura districtus fuit, nec pristinam vitae tranquillitatem violento, ut ille, exitu maculavit: sed cum in summa innocentia vixisset, tandem perceptis omnibus Religionis nostrae Sacramentis, spem aeternae tranquillitatis jam animo praecipiens, placidissima morte decessit." Henrici Valesii *Oratio in obitum Petri Puteani, viri clarissimi, Regi Christianissimo a consiliis et bibliothecis*, in: *Memoriae philosophorum, oratorum, poetarum,*

fratris eius Hadriani[300] orationes legendae eis tantum quibus valde vacet[301].

Harduini[302] commentarius in Plinium saepe mihi magno usui fuit. est maior vir quam ut sic silentio praetereundus. libri quidem Harduini mihi non propter eloquentiam arrident, sed placet ingenium audax; ut in observationibus in Aeneida – si quando hilarior mens mihi post duo tresve vini pocula contigit – pugnacibus sententiis delector. ultro praerupta petit atque in omnium eruditorum conspectu ridicule pessum deicitur. hisce enim divinum poema Vergilio abiudicat: "Infinitus sim, si colligere aggrediar omnes hujus poematis naevos, qui contra artis Grammaticae vel Poeticae leges occurrunt legenti. Totum enimvero carmen est prorsus inelegans, absque poesi vera, sola constans pedum mensura, sive structura, quam versificationem vocant; eaque barbara, obscura, plena verbis prorsus alienis, audaci commutatione casuum, contra Latini sermonis usum: tantum dissimile Georgicis opus," – etenim Harduinus, homo liberalis, Georgica saltem Vergilio concedebat – "quantum aes auro distat."[303] haec nonne fortiter? laudo vigilantiam viri, qui et causas acute perspexerit, cur crederet Aeneida non unius auctoris opus esse[304] et Francogallica lingua prius conscriptam fuisse[305]; atque, hercle, nonne luce clarius est, "*Arma cano* idem" – valere – "ac si Gallice dicatur, Je chante les piques et les mousquets"[306]? ad Aeneidis 4, 496 sq. ("*exuviasque omnes, lectumque iugalem, quo perii*") autem haecce notat: "Lectusne

historicorum, et philologorum nostri saeculi clarissimorum renovatae, Decas quinta, curante M. Henningo Witten, Francofurti 1679, p. 125 sq.

300 Adrien de Valois 1607 - 1692.

301 *Oratio de laudibus Ludovici Adeodati Regis*, Parisiis 1666. vide praeterea eiusdem *De vita Henrici Valesii*, Parisiis 1677.

302 Jean Hardouin 1646 - 1729.

303 "*Pseudo Virgilius. Observationes in Aeneidem*" in: Joannis Harduini S.J. *Opera varia*, Amstelodami 1733, p. 284.

304 cfr. "non unius esse opificis Latini carmen istud, sed duorum saltem vel trium: quamvis ab uno praeside operis." ib.

305 et quidem post annum 1230 ut ex Aen. 1, 296; 4, 229; 10, 166 evidens est, ib. p. 282.

306 ib. p. 284 sq.

307 ib. p. 302.

jugalis ille in spelunca fuit, de qua vates loquitur, versu 165?"[307] acumen hominis! hic vero[308] humanitatis sensum atque prudentiam viri mireris: "Deliberantem vates Aeneam inducit, debeatne Helenam interficere. At habet illa deliberatio quiddam indignum viro forti: nec satis prudenter coram femina, Didone scilicet, recitatur."[309] atque eadem humanitate Horatio quoque opitulatus est[310]. atque eodem fere tempore medicam manum divinus ille Bentleius Horatio admovebat. quamquam et Bentleius in Miltonio emendando effrenam Harduini audaciam interdum adaequare videtur[311].

sed satis feriati sumus, ad eloquentiam redeamus. at ubi mihi eloquentia? apud quem eam quaeram? post fata Huetii ultimo, quamvis debili, solacio extorribus in Gallia doctrinis remanserat abbas Olivetus[312], vir eruditus et orator non proletarius.

308 in annotationibus ad Aen. 2, 569 "*Tyndarida aspicio*".

309 ib. p. 294.

310 "*Pseudo Horatius, sive animadversiones criticae quibus ostenditur Horatii poetae nihil superesse genuinum praeter Epistolas et Sermones*" in *op. cit.* p. 328 - 362. lepide colloquium suum cum Harduino refert Ludovicus Holbergus, qui, cum Harduinus inter cetera "subjungeret, sese facile monstrare posse, Anastasium Imperatorem nunquam in rerum natura extitisse" vix risum tenere potuit (vide *Ad virum perillustrem epistola I* in: Ludovici Holbergii *Opuscula quaedam latina*, Lipsiae 1737, p. 162).

311 Bentleius Miltonium ubique corrigebat tamquam caeci poetae scripta a mendis librarii inquinata essent (cfr. "Our celebrated Author, when he compos'd this Poem, being <···> blind <···> could only dictate his Verses to be writ by another. Whence it necessarily follows, That any Erorrs in Spelling, Pointing, nay even in whole Words of a like or near Sound in Pronunciation, are not to be charg'd upon the Poet, but on the Amanuensis." Milton's *Paradise lost.* A new edition, By Richard Bentley, D. D. London 1732, f. 2r). e. g. in *Paradise lost*, 1, 6 sq. loco "secret top of Horeb" ponit "sacred top of Horeb", hoc addito argumento: "*Secret Valleys, secret Caves,* come frequently in Poetry; but *secret top of a Mountain,* visible several Leagues off, is only met with here. Our Poet dictated it thus, *That on the sacred top Of Horeb.* from Exod. iii.5. *Moses came to the mountain of God, Horeb. And God said, Put off thy shoes from off thy feet; for the place whereon thou standest is* HOLY *ground.* So our Author, V.619. VI.25. *Sacred Hill.* And *Spencer*, in Fairy Queen, I.10.54; and as frequently in the Classic Writers, Mons Sacer, ἱερὸν ὄρος." etc.! ib. p. 1. os critici!

312 Pierre-Joseph Thoulier d'Olivet 1682 - 1768.

M. – bonus sane auctor latinitatis, tantum quod latine nihil scripsit.

S. – scripsit quidem latine non adeo multa vir diligentissimus et meliore saeculo dignus, non sine causa. nam is cum malo litterarum fato afflictaretur, iustissimae indignationis vocem emisit: Parisiis in tanta affluentia eorum qui se eruditos iactarent neminem inveniri posse qui differentiam vocabulorum "indigentiae" atque "desiderii" accurate explicare[313] vel qui scripta eius latina scienter corrigere posset[314]. hoc miserum litterarum latinarum fatum eodem fere tempore defleverat Natalistephanus Sanadon[315].

ad calcem tamen operis adhuc non pervenimus. sunt quos praeterire nolim. atque in Caroli quidem Coffin[316] oratione nihil invenias quod reprehendas: peccat, ut omnes fere eiusdem temporis Francogalli oratores, eo vitio quod nihil peccat. quid addam? industria utcumque

[313] "Croirez-vous que dans tout Paris, je ne connais pas un homme à qui proposer cette question? En vérité, on aura beau me dire que je suis *laudator temporis acti*. Mais où sont donc aujourd'hui Huet, Boivin, Fraguier, La Monnoye, Hardouin? Voilà des portes où je pouvais frapper à toute heure." epistula ad Bouhier d. 16 febr. 1737 data, *Lettres de Pierre-Joseph Thoulier d'Olivet* (= *Correspondance littéraire du président Bouhier* Nr. 4), Univ. de Saint-Etienne 1976, p. 236.

[314] "Car si je corrige de ma tête, je ferai peut-être quelque nouvelle faute, n'ayant personne ici à qui je pusse dire: *estne oratio latina*? Huet, Fraguier, La Monnoye, tout est aux Champs-Elysées." ib. p. 260. in Britannia eodem saeculo Samuel Parr conquerebatur neminem sibi, cum praefationem ad Bellendenum componeret, habuisse ad manum, qui se emendaret, vide The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 3, p. 82 sq.

[315] cfr. "<···> Latinas litteras, quae non nisi longo aliquot seculorum spatio, abstersa vetustatis aerugine, suum nitorem acceperant, intra paucos annos illum videmus amisisse <···>" *De mala ingeniorum contagione vitanda oratio, habita Lutetiae Parisiorum, in regio Ludovici Magni collegio societatis Jesu*, A Natalistephano Sanadone, S.J., Lutetiae Parisiorum 1714, p. 26. cfr. praeterea supra (adn. 159) Melchioris Grimm de Ferdinando Galiani iudicium.

[316] Charles Coffin 1676 - 1749.

et rectum hominis iudicium laudanda[317]. paulo vividior est Iosephus Baudory[318]. atque maximus certe omnium qui post Huetium in

[317] cfr. e. g.: "Absit ut, ad extollendam antiquitatem, nostrorum hominum ingenia deprimere velim, quae nequaquam pejora esse existimo, quam antiquo|rum. Sed illud certe absque ullo vel erroris, vel invidiae metu confirmare possum, ut quaeque aetas haec exemplaria secuta est, aut ab iis descivit, ita ad optimam loquendi scribendique normam accessisse propius, aut ab ea longius recessisse.

Ut omittamus Italiam quae, post oppressa barbarorum armis litterarum studia, in tantam subito noctem incidit, ut illa eloquentiae princeps loqui pene dedisceret; cogitare qualis Gallia nostra fuerit ante Francisci primi tempora: quam agrestis, quam a Musis aversa, quam Galliae huic doctae et eleganti dissimilis! At postquam ille eruditorum parens toti regno ad recolendas artes veluti signum extulit, et antiqui scriptores, excusso illo situ atque pulvere, redire tandem in lucem ac manibus teri coepti sunt, credi vix potest quantus repente et sermoni decor, et imperio splendor accesserit. At eheu! uterque brevi inter varios civilium bellorum aestus obsolevit; | evanuit pariter cum antiquorum lectione superioris imago salubritatis. Pro illa simplici simul et nobili venustate, pro candida illa sermonis elegantia, stylum repente totum unus quidam morbus, proverbia, sententiolae, acumina, aliaeque id genus ineptiae invaserunt. <···> donec tandem ad haec tempora ventum est, quibus assiduo veterum exemplarium usu ita homines nostri profecerunt, ut habeat aetas quoque nostra suos Flaccos, suos Phaedros, suos Sophocles; tantumque hodie Gallia caeteris Europae gentibus loquendi scribendique laude praestet, quantum eas imperii gloria antecellit." *De periculo et utilitate litterarum Oratio*, in: *Oeuvres* de M. Coffin, 1755, p. 57 - 59.

"Jam ubi Mercurii et Sabbati | amici dies vacationem scholarum attulerunt, novum delectationis succedit genus. Itur, si paulo propior et frequentior locus poscat, ad Luxemburgensem hortum, ad Carthusianos; si temporis, aeris, virium ratio permittat, ad colles Gentiliacos, ad Elizaea viridiaria; quidni ad Vincennensem aut Boloniensem Sylvam, ubi quandoque ex collatis symbolis coenula instruitur, minime illa quidem elegans ac delicata, sed libertate, hilaritate, jocis, tumultu ipso, omni apparatu conviviorum longe jucundior." *Oratio habita in Scholarum instauratione: Non minores esse studendi, quam feriandi voluptates et illecebras*, ib. p. 167.

[318] Joseph du Baudory 1710 - 1749. cfr. e. g.: "Adeste, adeste Galliarum Incolae, Lutetiam convolate, nihil erit quod Ulyssi invideatis: ille per freta, per undas porrectos axe sub utroque terrarum tractus investigando, totam vitae seriem ordi|nare magistra rerum experientia didicerat, idipsum vobis, non longo viarum ambitu conquirendum, sed obvium sponteque parabile Lutetia providebit. In illo Gentium omnium domicilio populos alio sub Sole repositos, nec indole minus

Francogallia prodierunt oratorum fuit Carolus Poreus[319]. is Senecana acumina Tulliana copia non infeliciter temperavit: vibrantibus concitatisque sententiis non minus quam mellea ubertate atque eleganti (nimis tamen scholastica) orationis dispositione valet[320]. ceterum ridiculus est Alembertius qui, cum ipse rhetores latinos recentiores universos damnet, tamen hisce omnibus, quos recensuimus, Francogallis Marinum[321] nescio quem praefert[322], magistellum, mea

quam locorum situ disjunctos pernoscere vobis et explorare, non cursitando, sed otiando dabitur: hic Hispanam granditatem cum Italica subtilitate, hic Germanicum robur cum Anglico impetu, hic Gentes denique cum Gentibus, naturas cum naturis conferendo, et illam sub inde notitiam in vosmet ipsos reflectendo, saluberrimas in omnem vitae rationem morum praeceptiones haurietis." *Oeuvres diverses* du père du Baudory S.J., Paris 1762, p. 52 sq.

319 Charles Porée 1675 - 1741. inter discipulos eius Volterius censetur. cfr. "c'est vous qui m'avez appris à penser. La sorte d'éloquence dont vous faites profession, n'étant que l'ornement de la vérité, conduit naturellement à la philosophie" epist. ad Poreum 17.11.1738 (Voltaire, *Correspondance*. Édition Theodore Besterman, Paris 1977, vol. 1, p. 1295 Nr. 1054). et post mortem Porei: "jamais homme ne rendit l'étude et la vertu plus aimables. Les heures de ses leçons étaient pour nous des heures délicieuses; et j'aurais voulu qu'il e-t été établi dans Paris comme dans Athènes que l'on pût assister à tout âge à de telles leçons. Je serais revenu souvent les entendre." epist. ad Simonem de la Tour 1.04.1746, id. vol. 2, p. 1081 Nr. 2091. sed non omittendum et illud: "ce pauvre père [sc. Poreus], tout homme d'esprit qu'il était, croyait à toutes les bêtises de la théologie, et qui pis est, il avait le malheur de s'en piquer." id. Paris 1981, vol. 7, p. 620 Nr. 8222.

320 vide APPENDICEM IV.

321 Louis Marin (? - 1738). orationem eius quae est *De hilaritate* <···> invenies in: *Selecta carmina orationesque clarissimorum quorumdam in Universitate Parisiensi professorum* <···> [ed. Denis Gaullyer], vol. 2, Paris 1728 [primum vero volumen, quod Parisiis anno 1727 lucem vidit, carmina tantum habet].

322 "Voici le commencement d'une harangue de ce professeur, prononcée à la rentrée des classes, et qui a pour sujet: *De hilaritate Magistris in docendo necessaria.*

"Meditanti mihi justam orationem apud vos plenamque gravitatis, Auditores, suspicio incidit, quae me cum initio movisset parum, confidentius tamen existimata fecit, ut omissis gravibus et seriis, maluerim ad jucunda mentem stylumque traducere. Sic cogitabam ipse mecum, animos vestros, longa studiorum intermissione laxatos, paulatim et quibusdam

quidem sententia, puerilis ineptiae, quem, ni Alembertius in causa esset, silentio prudens transmisissem. eat postea et bonum se litterarum iudicem iste iactet!

Gabrielis Brotierii[323] ingenium mihi non arridet, et minime in Taciti supplementis, quibus maxime inclaruit. inde videre licet, quam vili abiectoque animo plerique eruditorum veteres aggrediantur[324];

quasi gradibus revocandos esse ad seria, nec protinus gravitate sermonis alienandos. Nimirum fastidit animus vel optima quaeque, nisi tempestive se offerant; nec facile admittit severitatem, cum semel occupavit hilaritas." <···> Il me semble qu'aucun moderne <···> n'a approché de si près de la manière de Cicéron. Quand on est *condamné* à écrire en latin, il | y a certainement quelque mérite à imiter de la sorte les bons modèles. J'ignore pourquoi ce professeur n'a pas dans l'Université une reputation du moins égale à celle des Hersan, des Rollin, des Coffin et des Grenan. J'ose même le croire supérieur aux Jouvency, aux Commire et aux autres Jésuites tant célébrés sur le Parnasse latin moderne." *Sur l'harmonie des langues, Et en particulier sur celle qu'on croit sentir dans les langues mortes; et à cette occasion sur la latinité des modernes* in: *Oeuvres philosophiques, historiques et littéraires de* d'Alembert, Paris 1805, t. 3, p. 113 sq.

323 Gabriel Brotier 1723 - 1789.

324 cfr. e. g. initium *Supplementi libri septimi Annalium*: "Audita Romae Tiberii morte, trepidatum ne nova abstrusiorque dissimulatio omnium ruinam pararet. Postero die, certioribus nuntiis, quo tardiora, eo acriora erupere odia; pude|batque, vel post fata, tristissimum Principem timuisse [male hoc et languent omnia]. Plebs, ut metus, sic laetitiae et spei immodica, gaudio furere: pars "Tiberium in Tiberim" clamitare: pars "Terram matrem, deosque Manes orare, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios, darent" [hoc quidem belle, ut in iesuita]." Gabrielis Brotier *Supplementa Librorum VII, VIII, IX et X Annalium C. Corn. Taciti qui ingenti litterarum damno periere*, Pragae 1774, p. 3 sq. melius in supplementis conficiendis versatus est Freinshemius (Johannes Caspar Freinsheim 1608 - 1660), cfr. initium *Supplementorum in Q. Curtium. Liber primus* (1, 1 - 3): "Alexandri, qui ademptum Persis imperium in Graeciam intulit, vitam atque res gestas plurimi Graecorum memoraverunt. Ex quibus plerosque operum suorum spectatores, quosdam etiam socios atque ministros habuit: nonnullos, ut erat avidus mansurae post mortem gloriae, ad hoc ipsum evocavit, ut res suas traderent posteritati. Caeterum praeter ipsam rerum magnitudinem, innata genti fabularum cupido effecit, ut eorum complures monstris quam vero similiora proderent: fide autem dignissimi videntur Ptolemaeus, qui postea regnavit, et Aristobulus. Etenim exstincto jam Alexandro sua edentibus metus et assentionis caussae decesserant, quibus fere narrandarum rerum veritas

nimirum nihil linguae latinae, quam quidem non mediocriter callebat Brotierius, usus proficit nisi animus omnia magna cogitans accesserit. et credo plus utilitatis vel ipsis latinis litteris adferre francogallica Caroli Montesquieu scripta quam Brotierii aliorumque eiusdem farinae hominum latina. ad iudicium acuendum non nihil praeterea francogallica Henrici Francisci Daguesseau[325] scripta afferre possunt.

Caroli Lebeau[326] paene oblitus sum. est tamen inter primarios sui saeculi Francogallos censendus (quae quidem laus, si verum fatemur, non adeo magnifica est), quin etiam cum ipso Rollino[327], Gallorum

corrumpi solet: nam Ptolemaeum etiam regii nominis dignitatem mendaci historia polluere voluisse quis crederet?" *Q. Curtius Rufus ad codices Parisinos recensitus cum varietate lectionum Supplementis Jo. Freinshemii* ... Parisiis 1822, vol. 1, p. 1. supplementa haec Curtianam suavitatem interdum redolent ("Nec tamen omnis est extra culpam. Multa sane facta retulit, sed nonnumquam laxioribus nec satis aptis inter se vinculis cohaerent. Quaedam in eo occurrunt, quae non sane in Curtio, si integer fuisset, reperires: illud, exempli gratia, Alexandri ad Hierosolymam iter, quod <···> minime ignoscendo errore temporum, non suum in locum transtulit." Nicolaus E. Lemaire in: *op. cit.* p. xlviij), sed aliud est Tacitum aliud Curtium Rufum exprimere: itaque ne simus nimis molesti Brotierio. minus felix fuit Freinshemius in supplementis ad Livium (a. 1654), ubi lacteam illam ubertatem ne longo quidem intervallo sequitur.

[325] Henri-François Daguesseau 1668 - 1751.

[326] Charles Lebeau 1701 - 1778. *Opera latina* prodierunt Parisiis anno 1816, 2 voll. (non vidi). frater eius minor (Jean-Louis Lebeau 1721 - 1760) in eloquentia quoque minor. cfr. "Oritur etiam inter Gallos novum liberalitatis certamen. Angit animos dolor navium amissarum, maerentque pristinam illam maritimarum rerum gloriam tot partam victoriis ac per immensos Oceani tractus late pervagatam temporum injuria concidisse. Eam jacentem erigere, ac velut naufragio fractam reparare student, et laboranti aerario propriis impensis ad aedificandas classes subvenire. Hoc sibi plurimae Provinciae, plurimae Civitates, plurima etiam civium Collegia a Rege deposcunt. <·· | ··> Miratur Britannia, vidensque quid ab ejusmodi gente sit expectandum, quae ex ipsis rerum difficultatibus sumit animos, et, quo premitur magis, eo erumpit vehementius, ad pacis conditiones aurem jam placidius admovet, bellumque grave utrique populo finire jam non recusat." *De pace oratio gratulatoria, habita ... a* Joanne-Ludovico Le Beau, Parisiis 1763, p. 26 sq.

[327] Charles Rollin 1661 - 1741.

illo altero Livio[328], conferendus. ambo Sorbonae professores, ambo eruditissimi. Rollinus animi magnitudine praestat[329], Lebeau artis splendore. Rollinus uberior, delicatior, dulcior idem, ita tamen ut interdum dilutior fiat; plus pigmentorum habet Lebeau. huius dicendi genus ornatius quidem et ad poeticam volubilitatem propius accedit (et erat in carminibus pangendis felicior Rollino) sed idem phaleris nimis indulget[330]; habet etiam in francogallicis scriptis locos, quos latine imitari velis, ut hoc de Ludovico Racinio, filio illius magni Ioannis: "Il a fait plus que ne font d'ordinaire les enfans des Héros; il n'a pas démenti sa noble origine."[331], sive de carmine cui inscriptio "*De religione*": "Il y mar|cha d'un pas ferme à la lueur du flambeau

[328] ut qui disertissimum opus scripserit, cui titulus *Histoire ancienne des Egyptiens, des Carthaginois, des Assyriens, des Babyloniens, des Mèdes et des Perses, des Macédoniens, des Grecs*, Paris 1730 - 1738.

[329] cfr. e. g.: "Occurrebant alia quidem multa, quae cum pulchritudine sua, tum etiam, ut vulgo fit, novitate oculos in se nostros converterent, portus | amplitudo, navium forma, elegantia, nitor; projecti in mare aggeris longitudo; sed tamen littus maris, brutum licet et asperum, nos ad se continuo revocabat; nec nisi aegre poteram ab eo divelli. Amabam illuc iterum atque iterum reverti; usque et usque contemplari admirabilem illam infinitatem aquarum, in qua tanquam in speculo praepotentis Dei celsa majestas tam clare cernitur. <···> At imprimis non poteram satiare me admirando aestu maritimos statis quibusdam horis certisque legibus accedentes et recedentes. | Afficiebar incredibili voluptate cum intuerer longe venientes tumidos fluctus, aliosque aliis impositos magno impetu per loca confragosa ferri, et repente ad arenam cum ingenti fragore fractos et in spumam elisos, redire in seipsos placide, subitoque evanescere. Diceres Pelagus, quasi conspecto in arena Dei digito, revereri supremam conditoris sui majestatem; trepidumque repente refugere, memor scilicet illius edicti, quod in ipso mundi nascentis ortu semel acceptum inviolate servat; *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Certe cum ita subito recedentes sua sponte fluctus videbam, libebat exclamare, *Quid est tibi, mare, quod fugisti?*' *Opuscules de M. Rollin*, Paris 1772, 2 vol., p. 229 - 231.

[330] cfr. "Vinculis obstringit juvenes Pigritia, mergitque somno mentes. Quo certius decipiat, blanditur arridens, inter flores ostendit lethale poculum, et sub melle venenum tegit. Qui bibit, suavitate deceptus statim languet: membra illius sopor occupat et serius malo remedium comparatur." Caroli Lebeau, *Opera latina*, Parisiis 1782, t. 1, p. 208.

[331] [Ch.] le Beau, *Éloge historique de M. Louis Racine*, Paris 1763, p. 3.

de la Foi; il sema de fleurs ces précipices; l'austère Théologie s'embellit entre ses mains et prit les brillantes couleurs de la poësie, sans rien perdre de sa sévère majesté."[332] trita ista sunt, fateor; sed tam matura videntur arte perfecta tamque artifici manu ducta, ut aut melius easdem res umquam tractari posse negares, aut nova prorsus semita ad Heliconios honores reptandum. neque alia de causa puto hoc artificium apud Francogallos periisse, quam quod summae artis nihil adici posset. itaque ars ipsa mutanda erat, alia via temptanda, quae iniquo quodam fato, a latinis auctoribus deserta, ab iis est ingressa, qui francogallice tantum scripsere.

sed, ut eo redeam unde huc deflexit oratio, post Huetii mortem scaena in Gallia mutata est, pauci eruditi, vix unus aut alter eloquens[333]: neque Francogallis, quorum popularis quaedam loquacitas vitiis blandientibus in spumam atque tumorem abire solet, si autem recto iudicio subigatur in lacteam ubertatem converti possit, ingenia defuere qui eo ipso recto iudicio uterentur, sed eorum, qui omnibus viribus vernaculam linguam excolebant, studia alio spectabant. nihilo minus omnia praeclara noscenda esse eis puto, qui hodie de latinae eloquentiae palma contendunt quosque hoc opere oratores constituimus. etenim cum constet, eloquentes iudicium rectum atque animum sublime elatum facere, haec ut assequamur, non magnopere referre, qua potissimum lingua scriptos libros legamus. et francogallici auctores summo studio legendi, quorum agmen ducit Bossuetius ille

[332] ib. p. 6.

[333] frustra enim Aegidius Xaverius de la Sante, S.J., inerudita et absona oratione, quae inscribitur *Utrum Galli ceteros inter Europae populos ingenii palmam in re litteraria sibi vindicare possint* (Parisiis 1728), contrarium ostendere conabatur, et iuste vituperatur oratio ista a Kappio, iudice non spernendo (cfr. Ioannes Erhardus Kappius, *De caussis corruptae hoc aevo eloquentiae in primis ex variarum scientiarum neglectu repetitis*, Lipsiae 1731, p. 16); simili conatu operam et oleum Marianus Parthenius, S.J. (Giuseppe Maria Mazzolari 1712 - 1786) perdidit in oratione quam scripsit *De italorum in litteris principatu ad Florentinos.*

sublime tonans Francogallicae eloquentiae deus. cui, aliam prorsus ingressus viam, proxime tamen accedit Ioannes Racinius, deliciae meae, tener et idem gravis omnibusque numeris absolutus, absolutissimus fortasse et vel Vergilio adaequandus nisi ubique elegans atque absolutus esset. quin etiam Volterius[334] evolvendus, facete mordax homo atque tanta affabilitate falsus ut veritatem ipsam quoquo velit flectat[335]. Franciscus Renatus a Castello Briani (Chateaubriand), quo nemo melius de speciosis naturae spectaculis scripsit[336], magno

334 ipse in litteris latina lingua ad Olivetum (de quo vide supra p. 110 sq.) conscriptis hac nominis forma usus est. Voltaire, *Correspondance.* Édition Theodore Besterman, Paris 1977, vol. 2, p. 142 (Nr. 1201): "Haec tibi scribunt Emilia et Volterius".

335 is ut francogallicae linguae praepotens, ita infans et nullus latinitatis auctor (cfr. "When at Paris, Johnson thus characterised Voltaire to Freron the Journalist: *Vir est acerrimi ingenii et paucarum literarum.*" James Boswell, *Life of Johnson,* Oxford 1952, p. 661). dabo ipsius verba (epist. ad Maiansium (Gregorio Mayans y Siscar, de quo v. infra) Kal. April a. 1762 data): "Voltaire hombre libero besa las manos del señor el quale merece de ser libero assi.

Tibi gracias ago vir ornatissime et bonarum artium arbiter. Magna lis est inter me et meos sodales academicos parisienses. Contendunt Cornelium nostrum invenisse Heraclii fabulam, et Calderonem fuisse ejus imitatorem. Opinor Cornelium sumpsisse ex authore hispano id quod tollere posset, ut hujus erat mos.

Cum legi barbaram Calderonis tragediam credidi me videre fodinam e qua Cornelius paululum auri extraxit quod deinde miscuit cum aliis suis metallis non sine fango [vox nullius auctoritatis. voluit dicere francogallice *fange*]. Sic tragediam *Le Cid* nuncupatam, suum mendacem [dicit fabulam Cornelii q. i. *Le Menteur*] ex hispania transtulit in galliam; nullum hispanum autorem video qui de aliis gentibus aliquid imitari dignatus sit. Heraclii fabula a Calderone scripta videtur e fonte genuino autoris prosiluisse nihil quod nostris dramatibus, simile sit; inventio, dispositio, colloquia, mores plane differunt; in quattuor solummodo versibus, totum litis judicium ponitur. De quatuor versibus agitur intra duas potentes nationes. | Sed quis nomen imitatoris consecuturus est? An qui semper cum suo genio scripsit, an qui saepius cum ingenio alieno? <···>" Voltaire, *Correspondance.* Édition Theodore Besterman, Paris 1980, vol. 6, p. 852 sq. Nr. 7107.

336 cfr. e. g. *Génie du Christianisme,* pars prima, lib. 5, cap. 12; ib. cap. 4 (de diluvio). neque me pigeat integrum de viatore in Alpibus nive obruto locum describere, quo melius virtutes fulgentissimi auctoris latinae quoque eloquentiae studiosis cognoscantur: "Mais le voyageur des Alpes n'est qu'au milieu de sa course. La nuit approche, les neiges tombent; seul,

usui esse potest; excellit praeterea in invectivis. accedat Anatolius Theobaldus (Anatole France) qui ultimus ante has tenebras sol Francogallorum eloquentiae illuxit. his lectissimis minores adiungantur, quorum nomina hic proferre alienum est a nostro proposito.

de iurisconsultis aut nihil aut copiose dicendum. nemo enim eloquens esse potest nisi cum grammatica iuris studia coniunxerit. et hoc verum esse in Alciato[337] Duareno[338] Gravina[339] aliisque iurisconsultis experti sumus, maximis viris, tantaque ingenii vi praeditis, ut quod de Pandectis a Laurentio Valla dictum accepimus, si latinae litterae periissent, illis unis restitui potuisse, non ad sententiae acumen sed ad rerum veritatem dictum videretur.

philosophorum lectionem oratori futuro non inutilem esse nemo diffitebitur. Gallus homo maximam mihi, cum puer essem, admirationem movit, Cartesium dico. ille certa quadam ratione adhibita omnes humanae mentis errores effugere voluit, cum philosophiae principium eiectis omnibus praeconceptis, quae dicerentur, opinionibus a vacua mente duceret; sic nos etiam, qui latine scribimus, decere communia etsi non rigide damnare atque spernere, per nosmet tamen ipsos sapere audere. quamquam propter latinitatem nemo, credo, Cartesii libros legit: sunt quidem dilucide scripti, sed Latium

tremblant, égaré, il fait quelques pas, et se perd sans retour. C'en est fait, la nuit est venue: arrêté au bord d'un précipice, il n'ose ni avancer, ni retourner en arrière. Bientôt le froid le pénètre, ses membres s'engourdissent, un funeste sommeil cherche ses yeux; ses dernières pensées sont pour ses enfans et son épouse! Mais n'est-ce pas le son d'une cloche qui frappe son oreille à travers le murmure de la tempête, ou bien est-ce le *glas* de la mort, que son imagination effrayée croit ouïr au milieu des vents? Non: ce sont des sons réels, mais inutiles! car les pieds de ce voyageur refusent maintenant de le porter ... Un autre bruit se fait entendre; un chien jappe sur les neiges, il approche, il arrive, il hurle de joie: un solitaire le suit." ib. pars quarta, lib. 3, cap. 5.

[337] vide supra p. 21.

[338] François Duaren 1509 - 1559.

[339] v. supra p. 49 sq.

non redolent. aevo demum maturus intellexi[340], neminem tam turpiter errare quam qui numquam errare velit et Cartesii disciplinam cum falsis fundamentis niti[341], tum bonis litteris magnam calamitatem

[340] solebat Sergius Academicorum et Scepticorum more omnia (excepta fide christiana) in dubium vocare atque in utramque partem disputare.

[341] sic fundamentum illud (q. e. *cogito ergo sum*) Cartesianae sectae penitus eruit dissipatque Huetius: "Ajo primum a Cartesio poni ut concessum, id quod quaeritur: quaerit enim, an sit, et merito; nam qui dubitare vult de omnibus, dubitare quoque debet, an sit, et de eo dubitare professus est Democritus. Tum ut probet esse se, Ego cogito, inquit, sum igitur. Quid est vero illud, Ego? nempe res aliqua, quae est. Quaerit autem, an sit: sumit se esse. Sumit igitur quaesitum pro concesso. Quid hoc est deinde, Ego cogito? hoc sc. Ego sum cogitans. Unde concinnatur hoc argumentum, Ego sum cogitans: ergo sum. Quod argumentum recidit in Chrysippeum illud, si lucet, lucet: lucet autem, lucet igitur. Si sum, sum: sum autem: sum igitur. In quo | sumo me esse, ut probem me esse, et admitto vitiosum illum in argumentando circulum. Praeterea cum ait se cogitare, non modo sumit se esse, sed esse se rem agentem; in quo sumit tanquam certa et concessa, et rem quae sit, et actionem rei hujus. Scimus autem extitisse viros acutos et doctos, qui Cartesio in argumenti hujus inventione glorianti responderint olim, nihil certius esse illud, Ego cogito, ac caetera omnia, quae ab eo pro falsis habita sunt. Et recte sane: nam qui dubitat, an sit, dubitare potest, an cogitet. Atque id non alio praesidio defendere potuit Cartesius, quam quod sibi ipsi eripuerat: lumine videlicet naturali, cui omnem omnino fidem detrahi jusserat. Quin etiam argumenti illius fundamentum hoc est: Qui cogitat, est: ego cogito: sum igitur. En iterum promissum deserit Cartesius, fidemque fallit, et pro vero sumit id, quod non minus dubium est ac reliqua, quae habenda duxit pro falsis. Adeo immemor est magnifici illius et generalis sui propositi, omnia habendi pro falsis. In quo proposito si perseverasset constanter, uti decebat Philosophum, quando occurrit istud ad ejus animum, Ego cogito, id quoque cum reliquis omnibus pro falso habuisset. Sin eximendum illud erat ex generali illa lege omnia habendi pro falsis, temeraria fuit et incauta illa lex; cui antequam submitteret animum, judicare debuerat, nihilne esset ex ea excipiendum.

Excussimus antecedens hoc enunciatum, Ego cogito; videamus porro, quid ex eó colligat Cartesius. Ergo sum, inquit. Quid si negaverimus hoc ex illo concludi, unde ejus comprobandi argumentum depromet? Nempe ex regulis Dialecticae: atqui omnia pro falsis haberi jussit, | ac idcirco regulas quoque Dialecticae. Quid si dicamus, etiamsi verum esse detur, eum esse qui cogitat, tamen esse quoque posse verum, eum non esse, qui cogitat? Cartesii quippe sententia est, efficere Deum posse, ut contraria et repugnantia enunciata vera simul esse possint. Unde sequitur fieri posse, ut qui cogitat, sit et non sit. Quod si tam verum sit, eum qui cogitat, non esse, quam esse, videat Cartesius, ecquid

attulisse, ut quae omni nativo latinitatis lepori et omnino eloquentiae atque eruditioni inimica esset[342]. melius lingua latina usus est Petrus

certi argumentatione sua possit efficere, ex qua tam contraria effici possunt. Instabit rursum, ac repugnare dicet, id quod cogitat, non esse cum cogitat. At nos quoque pari jure dicemus, repugnare id quod est, non esse, cum est. Cum igitur haec stare simul posse docuerit Cartesius, etiamsi repugnent, stare haec quoque possunt, cogitare aliquem, et non esse." Petri Danielis Huettii [sic] *Censura philosophiae Cartesianae*, Helmestadii 1690, p. 7 - 9: cap. I, § 5 - 6 (ed. Parisinam anni 1694, quae et auctior est, non vidi). de hoc opere vide Menagii et Huetii testimonia in: Gilles Ménage, *Lettres inédites à Pierre-Daniel Huet (1659 - 1692)*. Avec une introduction et des notes par Lea Caminiti Pennarola, Napoli 1993, p. 255 sq.; 442 sq.

342 cfr. Huetii de Cartesio et Cartesianis iudicium: "<···> adeo inconsiderate imperitos se et rudes produnt, ut vix alterius quam vulgaris linguae usum concedant in scribendo, nec aliam probent Latinitatem, quam simplicem, incomptam, et facilem; ne sibi scilicet, cum legent, saepius recurrendum sit ad interpretem. Jam ergo ludibrium debemus Cartesianis, quod eruditi sumus. Ita conversae sunt rerum vices, postquam exorsa est fax illa vitae et veri; nunc laudi imperitia est, dedecori eruditio <···>" Huetii, *op. cit.* p. 114 (cap. VII, § 7) et in universum: "Mirari profecto subit, exortos esse nuper ex hac [sc. Cartesianorum] factione aliquos, qui perversum illiteratorum Epicureorum exemplum secuti, non elegantioribus solum, sed reconditioribus quoque literis, praeterquam si quas callere sibi visi sunt, bellum palam auderent indicere, nosque in agrestem illam et feram barbariem, quae vix tot seculorum laboribus et studiis expugnata est, vellent retrudere. Nam quae vox edi potest magis barbara et immanis, quam quae in eorum libris expressa extat ad aeternam ignominiam, exiguum fore damnum, si igni absumatur quidquid uspiam Poetarum et Philosophorum ethnicorum est? <·· | ··> Culpant Critices studium, quae nobilissima Grammaticae pars est, et reliquarum disciplinarum, quae literarum monumentis consignatae sunt a veteribus, velut sepes et munimentum. Grammaticam ipsam respuunt, qua itur ad | disciplinas" ib. p. 112 - 114. cfr. ad haec quid Cartesius de lingua latina senserit: "Et si j'écris en français, qui est la langue de mon pays, plutôt qu'en latin, qui est celle de mes précepteurs [o nefas! linguam latinam non romanorum auctorum sed iesuitarum (quorum ludum puer frequentavit) patrimonium dicere! ubi acumen tuum, Cartesi!], c'est à cause que j'espère que ceux qui ne se servent que de leur raison naturelle toute pure, jugeront mieux de mes opinions, que ceux qui ne croient qu'aux livres anciens. Et pour ceux qui joignent le bon sens avec l'étude, lesquels seuls je souhaite pour mes juges, ils ne seront point, je m'assure, si partiaux pour le latin, qu'ils refusent d'entendre mes raisons, pource que je les explique en langue vulgaire." R. Descartes, *Discours de la méthode* VI, 11.

Gassendus, cuius rei amplissimum monumentum *vita Peireskii*[343] extat. oratio Gassendi, quamquam luminibus eloquentiae fere destituta[344], tamen Xenophontea quadam suavitate et sano succo et sanguine aequabiliter suffunditur, quae omnia non tam ex ornamentis sermonis (nam sermo Gassendi ne satis quidem purus esse videtur) quam ex serenissima mente nascuntur. Petrus Baelius (Pierre Bayle), latine mediocriter doctus, in francogallicis suis scriptis me ita tenuit, ut nullo opere maius delectarer quam Lexico eius. ex illo opere, di

[343] *Viri illustris Nicolai de Peiresc, senatoris Aquisextiensis vita* in: Petri Gassendi *Opera*, Florentiae [1727] t. 5, p. 207 - 305.

[344] nam huiuscemodi flores perrari apud Gassendum sunt: "Similis enim crepusculo vespertino est rerum fama, quae initio clarissima, ita paulatim evanescit, ut abeat tandem in tenebras; opusque adeo historia est, quae facis instar illam producat." *op. cit.* p. 208. cetera sunt plerumque curiose quaesita et quae futilia videri possint (nec sunt), sed non iniucunda legentibus, ut istud: "Paene vero statim a cena ita ad somnum se [sc. Peireskius] comparabat, ut apparatum faceret excitabulum tempestivum. Non sane, quod pigeret illum quietis necessariae; sed quod ultra horas quaternas dormienti, tanta in vesicam urinae copia confluueret, | ut occluso prae nimia tensione orificio, emittere illam deinceps non posset. Illa proinde occasione interrumpendus somnus erat; et crebrius quidem, si flaret Corus, minimave aura frigidiuscula; tum quippe gravius, frequentiusque urina detenta ipsum divexabat." *ib.* p. 288 sq. et paulo post: "<···> solebat vero, ut eam [sc. urinam] cieret, linteum, eiusve angulum dentibus premendo, quasi mandere; idque in ipso conatu, quo proinde saepe urinam emisit. Nisi id vero sufficeret, ut in maxima vesicae tensione, tum inter parietem, posticamque lecti partem intervallo arctissimo sese comprimendum sistebat; nam post multos saltem conatus id experiebatur non inutile. <···> Urinam autem excipere cucurbitula, quam ventosam vocant, solebat; ut in eius fundo statim appareret, si parturiisset aliquid; videlicet labores illos, eruptionesque calculorum, parturitiones suas dicebat." *ib.* p. 289, vel istud: "Usui erat [sc. Peireskio] commune vinum, cum probaret tamen potissimum album, idque cum foret acidulum; sic melius sedari sitim opinatur. Diluebat autem plurima aqua <···>" *ib.* p. 288. haec curiosa quidem sunt nec tamen alte petita, et si mihi credis, vel maxime humana. hisce similibus in Petro Montano (Pierre Montaigne) delectari soleo. itaque non audio Iosephum Scaligerum, qui talia prorsus aspernabatur, cfr. "La grande fadaise de Montaigne, qui a escrit qu'il aimoit mieux le vin blanc. Monsieur du Puy disoit, que diable a-t-on à faire de sçavoir ce qu'il aime?" *Scaligerana*, Cologne 1695, p. 262.

boni, quantum voluptatis, quantum fructus tuli. Itali Ioannem Baptistam Vicum iustis de causis laudant, scriptorem omnium saeculi XVIII philosophorum eloquentissimum, omnium rhetorum sapientissimum. is est quidem orator non laetissimae illius uberrimaeque Tullianae copiae, neque eius modi eloquentiae quae in admirationem sui rapiat[345], elegans tamen et qui sensus animi apte et cum dignitate explicare possit[346]. Leibnitii humanitas me non me-

[345] etenim ipse modestissime genus suum dictionis oratoriae *simplex nudumque* designabat (*Oratio Ioh. Baptistae Vici latinae eloquentiae professoris et historici regii* ("In regiis Caroli Borbonii nuptiis oratio"), in: *Opere di Giambattista Vico* vol. XII. *Varia* a cura di G. G. Visconti, Napoli 1996, p. 222).

[346] cfr. e. g. de sui temporis philologis, philosophis et iureconsultis: "<…> Philologi, qui vel ipsam philosophiam ad memoriae ostentationem edocti, et auctoritatis tam prave religiosi, ut rationem abnegent omnem, atque adeo sua te hu|manitate exuant potius, quam ullum dictum aut falsum, aut falsa traditione depravatum reprehendi patiantur: his vero e regione adversi Philosophi, qui aliquot veri, methodique regulis rati se jam factos omniscios, philologiae nedum ignari, sed infensissimi hostes, studiis linguarum, poetarum, historicorum, oratorumque damnatis universis, sub philosophorum nomine scytes, aut arabes barbarissimi humanitatem, qua ab antiquis tradita, hisque studiis restituta fruimur, quantum in ipsis est, omnem conantur extinguere: inter hos medii leguleji, forique rabulae omnis sive philologiae, sive philosophiae, sive adeo utriusque ignarissimi; ex quibus primi varia quidem eruditione satis instructi, sed metaphysicae plane rudes, quae, ni fallor, omnes ejus operis partes, ceu corporis membra spiritus, permeat, neque natura facti, neque geometria consuefacti sustinere longam rationum contentionem, qua omnis ea lucubratio pertesta est: secundi metaphysicae sollertes fortasse, ac geometricae methodi, sed omnis eruditionis ignari, quae iis libris veluti elementa suppeditat: postremi omnibus his praesidiis exuti omnes superbe de se, abjecte de me sentientes, ubi fortasse epoti, ac dormiturientes cum fastu libros nostros inter manus accipiebant, et ubi fors eos ipsis evolveret, cum aut nihil plane intelligerent, aut nova prorsus inopinave legerent, prae suorum ingeniorum deliciis, quod ego aut eorum mentes multa rerum novitate turbarem, aut parva meditatione ipsos offenderem, me tanquam negati ipsis obsequii reum variis inductis nominibus accusabant, alius grammaticae auctoritatis eversorem audacem, alius principiorum humanitatis cum illis Christianae religionis conglutinatorem ineptum, multi juris principiorum novatorem sophisticum, omnes denique obscurum, ac tenebricosum suis sermonibus proscindebant." epistula ad Iohannem Clericum (Jean Leclerc 1657 - 1736) d. XV Kal. Nov. a. 1723 data: *Opere di Giambattista Vico*

diocriter tenet, qui et latina lingua Cartesio melius usus est; nam quod grammatice potius quam latine scribit, est commune omnium philosophorum vitium. carmina Leibnitii extant, polita illa quidem, sed niveo frigore algentia et minime poetica. sequitur Wolfius, vir acutus, sed nihil ad Leibnitium: scripta Wolfii latina plane abhorreo, ac prorsus magna pars barbariei in Germaniam a Wolfio et Christiano Thomasio fluxisse mihi videtur. feliciores Angli qui Verulamium Hobbesium Lockium Clarkium atque Georgium Berkeley habuerunt. nam Neutoni opera latina ita sunt, ut ipsam rerum naturam propria quadam lingua loqui videre videaris. hoc effecisse divini fortasse erat meriti, sed aliud est latine aliud physice loqui. ut vero latine philosophemur, ante omnes legendi sunt Huetii quos de philosophia scripsit libri[347] et *Initia philosophiae* Ioannis Augusti Ernesti[348] (in Ernesto tamen legendo cura adhibenda est, ne suspectae auctoritatis locutiones faciamus nostras); sic enim totum orationis habitum ad dignitatem latini sermonis componere discamus (in quo summa rei vertitur), et verborum sordibus abstersis, numquam in posterum, si quando de philosophorum decretis in scriptis nostris paulo diser-

vol. XI. *Epistole* a cura di M. Sanna, Napoli 1992, p. 104 sq.

cfr.: "Gloriaris, philologe, omnem rem vasariam, vestiariam Romanorum nosse, et magis Romae quam tuae urbis vias, tribus, regiones callere. In quo superbis? Nihil aliud scis quam figulus, coquus, sutor, viator, praeco Romanus. Te iactas, philosophe, principia rerum et caussas assecutum. In quo te iactas? In quo animos effers, ubi adversae sectae alius te putat errare? Addiscamus igitur verum studiorum usum, et sciamus vetitam primi parentis curiositatem in nobis esse vera rerum cognitione mulctatam. Hoc disciplinae doctos a vulgo distinguant: utrique nesciunt; sed vulgus se scire putat, eruditus ignorare se noscat." *Oratio III habita XV Kal. Novembris anno MDCCI cuius argumentum "A literaria societate omnem malam fraudem abesse oportere, si nos vera non simulata, solida non vana eruditione ornatos esse studeamus"*, in: *Opere di Giambattista Vico* vol. I. *Le Orazioni inaugurali I - VI.* A cura di Gian Galeazzo Visconti. Bologna 1982, p. 142.

[347] *De imbecillitate mentis humanae libri tres,* Amstelodami 1738; *Censura philosophiae Cartesianae,* Parisiis 1694; *Quaestiones Alnetanae de concordia Rationis et Fidei, Cadomi 1690.*

[348] *Initia doctrinae solidioris,* Lipsiae 1796, p. 115 - 736.

tioribus sermo instituendus erit, pro conscientia apperceptione pro fine causa finali pro definitione nominis et rei definitione nominali et reali pro habilitate dispositione pro conscientia recte maleque factorum bona et mala conscientia[349] apud doctos arguamur. sunt et ex mathematicorum cohorte quidam lectu digni, veluti Aloysius Palcanius[350] in commentario quem scripsit *De vita Eustachii Zanotti*[351]

[349] cfr. *Indicem verborum quibus magis latina in hoc opusculo substituuntur* in: I. A. Ernesti, op. cit., p. 734 - 736.

[350] Luigi Palcani Caccianemici 1748 - 1802, mathematicae, physicae, astronomiae professor.

[351] *De vita Eustachii Zanotti commentarius* iterum editus, Romae 1785. cfr. "Quamvis enim fluvios, qua in mare rumpunt, per adclive ferri Gulielminus, auctor optimus, tradidisset, rem tamen hanc strictius attigerat, quam ejus admirabilitas postulabat. Itaque Zanottus et quam id late pateret, ostendit, et primus omnium docuit, ut aquae ad fluminum ostia superficiei devexitate impellantur, ac quasi ex alto profluentes alvei adclivitatem concepto impetu superent. Quod quidem nemo ante ipsum ad rei dignitatem apte explicaverat. Igitur praeclarum hoc Zanotti factum probarunt multi, in his Frisius, quamquam in eo desideret forsitan aliquid, et leviter emendet. Sed non tam dolendum Zanotto fuit, quod cum mathematico tanto, quantus Frisius est, in paucissimis pugnaverat, | quam iure laetandum, quod consenserat in tam multis. Alia quoque exstant, quibus cognosci potest, quam fuerit Zanottus hydrometriae intelligens: sed modum adhibere oportet, ne ultra quam satis est minuta quaeque consectari videamur. In omnibus autem, quae emisit in vulgus, multa industria, et diligentia comparet, multa doctrina, ac lene quoddam, et aequabile, et candidum dicendi genus, quo plus valebat in persuadendo, quam alii calamistris, et lenociniis." p. 39 sq.; "In sententia dicenda ita orationem moderabatur, ut neque superbus, neque obnoxius videretur, neque alienae dignitatis oblivisceretur, aut suae. In disputando, quamquam ipse summe lenis erat, non illos tamen vituperabat, qui animose, et fortiter dicunt, modo contumelia absit: haecque eius vox saepe est a multis audita; illos ferendos non esse, qui innocuam dicentis libertatem queruntur se ferre non posse, eamque in alios culpam conferunt, quam ipsi sustinent. Iam veritatis quum esset cupidissimus, eam quacumque ratione infuscare flagitium, obruere autem scelus esse putabat, ac, | quamvis amicorum dignitati mirabiliter faveret, eosque laudaret libentissime, cavebat tamen, ne quid in sermones suos per causam irreperet officii, quod videri posset blanditiis, aut gratia depravatum. Quo magis mirandum est, eumdem in adsentationis suspicionem nonnumquam incidere potuisse. Sed sic est vulgus, pauca ex veritate, multa ex opinione aestimat." p. 42 sq.

hunc librum Gaspar Garatonius (Gasparo Garat(t)oni 1743 (1747) - 1817) praefatione satis diserta instruxit, cfr. (de

Bononiensis[352]; atque hoc in genere multo quidem levioris, haud tamen spernendae prorsus operae est Philippi Schiassii[353] *De laudibus Sebastiani Canterzani*[354] *sermo*[355].

Palcano): "Illud vero portenti simile videatur, esse hominem quotidiano labore ita in physicis, et mathematicis exercitatum, ut eo nomine clarissimus habeatur, nihilque aut animus loci, aut occupatio temporis ad alia videatur studia potuisse relinquere, cuius in Latino sermone tanta sit elegantia, copia, suavitas, quantam ii vix adsequuntur, qui in hac facultate sibi comparanda aetatem conterunt. | Quam si quis narranti atque ornanti necessariam esse neget, hunc ego asperum, et agrestem, quamvis doctissimus sit, appellare non dubitabo. At enim breve tempus aetatis humanae linguis addiscendis traduci nolunt, ne ab rerum cognoscendarum multitudine, ac dignitate tenuis nos avertat industria. Atqui Palcani exemplo docemur, magno ingenio praeditos homines, laborisque patientes in reconditis artibus atque gravissimis excellere ita posse, ut Latinitatis egregiae splendorem adiiciant." p. 8 sq. idem Garatonius alia quoque doctrinae specimina dedit, velut septem lucubrationum volumina (Neapoli 1777), *Excursus ad Verrinas* (in: *Opuscoli letterarii [bolognesi]*, Bologna 1818, t. 1, p. 3 - 12), et alia quaedam. cfr. Dionysii Strocchii *De Vita et scriptis Gasparis Garatoni commentarius* (in: *Opuscoli letterarii,* op. cit. p. 147 - 153), et ibi iudicium Angeli Mai: "Gaspar Garatonius Tullianorum interpretum atque editorum nostra aetate facile princeps." p. 151. cfr. de Garatonio: "autore di belle epistole latine e dottissimo filologo, che meritò un elogio latino dello Strocchi e le lodi del Mordani e del Leopardi (lettera del 1825 allo Stella)." Giulio Natali, *Il Settecento* (in: *Storia letteraria d'Italia* VIII, 1), Milano [3]1929, parte prima, vol. 1, p. 523.

[352] Francesco Maria Zanotti 1692 - 1777.

[353] Filippo Schiassi 1763 - 1844, historiae et graecarum litterarum professor.

[354] Sebastiano Canterzani 1734 - 1819, mathematicus celebris.

[355] habitus in Archigymnasio Pontif. Bononiensi a. 1819. in: *Opuscoli letterarii [bolognesi]*, Bologna 1819, t. 2, p. 105 - 111. cfr. inde: "Haec, aliaque multa aliis tradita Voluminibus quicumque legent, legent autem docti omnes, singularem illius in unaquaque disciplina scientiam mirabuntur, scribendi etiam nativam quandam venustatem, elegantiamque adamabunt: ut sin minus lepores illi, veneresque abundent, quibus Zanotti decessoris sui stilus undique redundabat, naturali tamen, | atque ingenuo nitore ejus oratio explendesceret. Qua quidem et doctrinae praestantia, et scribendi laude cum jamdiu floreret, illum omni ex parte dignissimum judicaveris, qui in conscribendis Instituti Bononiensis, ejusque Sodalium Philosophorum Commentariis Zanotto succederet. Quid? si Canterzanum eo ingenio fuisse dixero, ut poesim quoque calluisse constet, in eaque, si voluisset, excellere potuisset?" p. 107 sq.

M. – atque ut ad philosophos revertamur qui grammaticam sapientiae studiis iunxere, Hugonis Grotii[356] laus minime tacenda est.

S. – magnum nomen audio. sed licet altam viri mentem, ingenium subactum, doctrinam multiplicem admirer, eum tamen oratori formando non multum prodesse aestimo, ut qui oratorias virtutes neque ipse habeat neque aliis magnopere commendet[357]; scilicet contentus elegantia disserendi, multiformem illam facundiam, quam ab oratore exigimus, sprevit. occurrit mihi praeterea Thomas Campanella, homo portentosae pertinaciae, ingenium male callidum stilo incondito fassus[358]. eum cum lego, tum demum intellego quam multum Caussinos Guinisios Carettonios amem.

[356] Hugo de Groot 1583 - 1645.

[357] non enim eloquentiae sed utilitati tantum consulebat, cfr. "<···> suadeam attente legi Orationes quasdam Demosthenis ac Ciceronis: non forenses, sed quae Remp<ublicam> magis spectant: quales sunt Philippicae utriusque; illius Olynthiacae, hujus pro lege Manilia, et contra Agrariam, aliaeque nonnullae." *Epistula Grotii ad Benjaminum Maurerium* in: *H. Grotii et aliorum Dissertationes De Studiis instituendis*, Amsterodami 1645, p. 5.

[358] is *ad Divum Petrum Apostolorum principem Triumphantem* librum scripsit (*Atheismus triumphatus seu reductio ad religionem per scientiarum veritates*, Romae 1631), ubi (f. 2v) sic Petrum alloquitur: "Fr. Thomas Campanella tibi sonans; Dominicanus tibi latrans <···>" – haec per frigidum verborum iocum et turpitudinis cogitationem eruditis auribus prorsus indigna sunt. is vero qui sequitur locus, ne satis quidem grammatice scriptus, tamen tam magni animi index est, ut omni grammaticorum iudicio superior evadat: "Qui autem ab aliis cruciatur non potest compelli, ut male sentiat, neque ut male faciat, si enim facit, aut sentit, sponte facit, ut qui proiicit merces in naufragio. Homo ergo laedi non potest, nisi consentiat pravitati, consentire autem est in nostra potestate, ergo laedi etiam est in nostra potestate. Virtuosus autem hanc potestatem non cedit. ergo non potest laedi: et sane Horat. recte cecinit, et experientia testatur:

Iustum, et tenacem propositi virum
Non vultus instantis Tyranni
<... Horat. carm. 3, 3, 1 - 8>.

Id ego expertus sum 40. horis pendens de fune tortis brachiis ligatus retro, et funiculis simul usque ad ossa adstrictis; super acuminatum lignum insidens, ita ut si velim brachiis me subsistere contortis, nimis affligerentur brachia, scapulae, et pectus, et collum, si me demitterem, a ligno nates devorabantur: quae distentae usque ad vessicae collum, et radices genitalium, sanguinem multum emittebant,

M. – quid tu mihi in omnes partes devius debaccharis? quid tibi cum Campanella? quid Campanellae cum eloquentia grammaticorum[359], quam patefacere et illustrare aggressus es? redi, quaeso, ad sanam mentem, redi denique in provinciam tuam. etenim qui potes de philosophis disserere, qui semper a philosophia alienissimus fueris?

S. – tu vero si virtutis rationem a philologis ad eos amandandam putas qui vulgo sapientes perhibentur (id enim innuere videris), vide ne ad bonarum artium imperitos ridicule delabaris, qui praesumpta sapientiae opinione animos plebeculae regunt, philologis vero verborum crepundia ex facili, ut rem vilem, concedunt. quod autem philosophos, qui omnes alieni a nostro proposito sunt, strictim tamen attigi, hoc, uti scias, more romano feci. nam et Saserna in libris de agri cultura scribit cimices quem ad modum interfici oporteat vel quomodo glabrum quem facias[360], quae cum sint ab agri cultura aliena, non tamen ideo respuenda; nam et Cato et Varro, viri quorum virtutes vehementer revereor, eadem fere peccarunt, si modo hoc peccare est.

M. – a, parce auribus meis et redi tandem aliquando in tuam, quam nanctus es, Spartam[361].

S. – ut tibi videtur. ego vero induci numquam potui, ut eos scriptores mihi praecipue lectitandos imponerem qui cum male scriberent tum et nescirent aliquando quasi nihil vel aliud agendo

donec tanquam mortuum post 40. horas torquere cessarunt. Homines alii me maledicebant, et intendebant dolores, funem excutiendo: alii laudabant clanculum fortitudinem. Hoc tamen scio ex hoc, penes nos esse laedi, vel non: neque enim illis quidquam cessi: nec verbum extorquere potuerunt. Sed tunc me Arist. vocasset infaelicem. cui si obtemperasssem fugiendo mortem, victus, et servus fuissem timoris, et vita indignus." *Moral. Quaest.* 1 in: Thomae Campanellae *Opera*, Parisiis 1637, t. II [fasc. 3], p. 8.

359 vide tamen de Campanellae studiis grammaticis in: Gianfranco Formichetti, *Campanella, critico letterario. I Commentaria ai Poemi di Urbano VIII (Cod. Barb. Lat. 2037)*, Roma 1983.

360 cfr. Varro *r. r.* 1, 2, 25 sq.

361 cfr. tamen J. Ph. Krebs, J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 71905, vol. 2, p. 591.

maximas res agere. hoc nomine Gassendum amplector, hoc nomine Baelium (Pierre Bayle) amo plurimum. sed quorsum alio nolentes abrepti sumus? de Francogallis, opinor, sermo erat, et memini me sensim ad finem saeculi XVIII pervenisse priusquam devius vagari inciperem. nunc vero usque eo ventum est ut nihil sit quod a me expectes. quid me tam attente consideras? ad finem res venit. surgendum et requiescendum. nullam amplius operis materiam video.

M. – quid ita?

S. – de latina eloquentia disserere institui: eam saeculo XVIII vertente afflictam esse video. et ubi mihi toties iam in Francogallia conclamata eloquentia? quo me vertam? quo confugiam? ubi evanescentis Latii umbram amplectar? ad Sorbonam? at recenti caede cruenta omnia cerno, vasta atque deserta. ad Societatem Iesu me conferam, ultimum litterarum latinarum perfugium? at nulla est.[362]

M. – recipe te ad Belgas[363] et Germanos. de eis enim nondum egisti.

[362] abolita est anno 1773.

[363] Belgas et Batavos eadem rubrica complecti in usu fuit eruditis saec. XVIII.

LIBER POSTERIOR

S. – Venio ad venerandam litterarum parentem, benignissimam doctrinarum altricem, Belgicam terram. et quoniam de Lipsio iam dixi, restat ut duo proximos, non quidem dicendi genere, sed ingenii viribus Lipsio suffectos eloquentiae heredes nominem. ordiar a Petro Cunaeo[364], deinde dicturus de Baudio. atque aliorum acutus iudex, ipse scriptor mediocris Christophorus Cellarius[365], Germanus, sic de Cunaeo iudicat (altius repetam ut simul et Cellarii dicendi genus, implicatum et subtriste, tibi ostendam): "Quum vero post sacrorum institutionem praecipuum scholae officium in eloquentia locarem, nec optimas Ciceronis orationes nostro saeculo ita idoneas censerem, ut ex solis illis dicendi facultas parari facile possit; suaderemque, ut recentior auctor cum illo componeretur: non male exceptum meum consilium fuit, et illico nova iussione mihi iniunctum, ut ex recentibus nominarem, qui cum Tullii lectione in schola coniungeretur. Ego vero, quod semper iudicaveram, et a magnis viris approbatum esse sciebam, neque infructuosum fuisse longo usu didiceram; pro candore meo confessus sum, Petri | Cunaei Orationes mihi omnibus videri praeferendas."[366] si autem meum iudicium expectas, Cunaeum dico Lipsio apud Batavos *longo sed proximum intervallo* (Baudium tamen excipio). et ipse laudem concinni et emendati sermonis expetisse videtur. mireris in eo imprimis placidum et

[364] Peter van der Kun 1586 - 1640.
[365] Christoph Keller 1638 - 1707.
[366] ex praefatione Cellarii ad orationes Cunaei, in: Christophori Cellarii *Epistolae selectiores collectae studio* Io. Georgii Walchii, Lipsiae 1712, p. 104 sq.

elegans dicendi genus: vehementioribus quidem affectibus paene caret, neque, ut accipimus, homo fuit qui in vita cotidiana commotior laetiorque fieri posset; non tamen ideo omnino praeclaris orationis luminibus caret, quae admirationem moveant; ut in illa in obitum Bonaventurae Vulcanii[367] scripta, ubi plenis interdum doloris velis fertur: "Nescio enim quo pacto animus noster sibi ipse succumbit, et quidquid vox languescens aegre effert, involvere silentio amat. Curae parvae loquuntur, ingentes stupent. Amisit Academia Professorem, at ego amicum *etc.*"[368]. sed paulo post paene ridiculum de eodem Vulcanio: "Permultum potest indoles rite nutrita sub faustis penetralibus, et quadam naturae lege ita comparatum est, ut in iuvencis atque in equis eluceat patrum virtus"[369]; sub finem eiusdem orationis nescio an infelicior sit in Lucano[370] imitando: "Nunc procul dubio sedes illic," - in beatorum scilicet sedibus - "et hoc ipso momento ludibria cadaveris tui rides ex alto"[371]; fuit autem Vulcanius rite conditus. quod autem vere in magnis meritis duxerim, nescio quo fascino praestat Cunaeus ut quaeque eius oratio uno tenore, citra nauseam, usque ad finem legi possit[372] - sed id ipsum fortasse eo

[367] De Smet 1538 - 1614.

[368] *Petri Cunaei Epistolae. Quibus accedit oratio In obitum Bonaventurae Vulcanii,* cura Petri Burmanni, Leidae 1725, p. 401.

[369] ib. p. 403.

[370] cfr. "risitque sui ludibria trunci" 9, 14.

[371] *Cunaei* op. cit., p. 412.

[372] cfr. e. g.: "Vellej Paterculi ingenium foeda adulatione detritum est. Noster [Suetonium dicit] omnia et accurate persecutus est, et (quod caput rei est) ex fide. incorruptam enim veritatem (quam ego historiae animam appello) ubique amat: a qua ne recedere vel metu vel studio videretur, defunctorum tantum principum res composuit; de Nerva autem Trajano, Adrianoque ubique tacet, inter quos vixit tamen. Sed nimirum vir prudentissimus judicium posteritatis formidavit, et ab adulationis crimine tam longe abesse voluit, ut etiam suspicionem fugerit. Hunc talem et tantum scriptorem ut de manibus deponerem, a me ipso impetrare non potui. Nescio enim quo pacto virtutes illius magis magisque in dies admiror, et, si is error dicendus est, eo me non carere fateor, imo glorior potius. Vivunt enim profecto, vivunt hac aetate viri inusitato judicio, divino ingenio, doctrina incomparabili, quos ego hujus erroris mei vel socios habeo, vel auctores." *Oratio VIII. habita cum Suetonii Augustum publice interpretaturus esset* (Petri Cunaei *Orationes,* Lipsiae 1735, p. 146).

praestat, quod affectatione penitus caret. si quid peccat, neglegentia et nimia rerum et verborum tenuitate peccat.

Dominici Baudii[373] eloquentiam exosculor; est laetus praecultus erectus plenus candidus succulentus profluens nec diffluens, oratio munda emendata canora, lepore perfusa. omnino immortalitate dignam orationem *Ad studiosos tumultuantes*[374] censeo. potest quidem nimis longus dum telas orditur videri atque nimius in exemplis, sed illud Ciceronis habet, hoc vero nonne apud Petrum Montanum (Pierre Montaigne) miramur?

Erycio Puteano[375] in munere publici academiae Lovaniensis eloquentiae professoris successit Nicolaus Vernulaeus[376], orator

[373] 1561 - 1613.

[374] cfr. e. g.: "Celebrabatur de more inauguratio novi Rectoris. quae quidem actio solet exornari maximo conventu concursuque omnis generis mortalium, praecipue autem vestri ordinis frequentia et celebritate. Aderat princeps ingenii et doctrinae, maximus ille seculi vir Josephus Scaliger, cujus etiam veneranda canities hunc actum nostrum cohonestare dignatur. <·· | ··> Quum optimus et integerrimus virorum Rodolphus Snellius, qui Rectoratu abibat, orationem ex consuetudine haberet, jamque dicendo longe provectus, irruerunt in auditorium sine ulla reverentia quidam vestrum non audiendi proposito, sed ad interpellandam illius diei solennitatem. Stabant enim in ultima parte, quam | supplere solent qui tardius advenerunt, aut qui praeter numerum nihil adferunt. Hi inter mysteria Cereris Bacchanal agitabant. Nam partim incondito pedum strepitu loquentem interturbabant, ut aegre sermo dicentis etiam a proximis exaudiri posset: partim fastidiosis execrationibus abominabantur, tanquam si hostilis facies, aut purgamentum aliquod apparuisset. interdum erant qui adducto vultu, et caperata fronte stuporem simulabant. <···> Quin etiam ad nomen auspicatissimum Principis Auriaci, cui libertatem Batavia debet, et ad filii ejus magnanimi Mauritii mentionem, quam tremunt armati exercitus, quem summum belli ducem maximi Reges agnoscunt, (horresco referens) pars insulso risu diffluebant, et in cachinnos effundebantur, more sannionum aut phreneticorum, qui quum acerrime morbo afflictantur, gaudiali ritu risum propitiant. Haec qualia sunt? haec vobis joca videntur?" Dominici Baudii *Epistolae* <···> *Orationes*, Amstelodami 1660, p. 651 - 653.

[375] de quo v. supra p. 40 sq.

[376] Nicolas de Vernulz 1583 - 1649.

probabilis, Puteano sanior (quem ne imitabatur quidem): facilitas scribendi summa[377], oratio profluens exemplis abundans, sensibus vero plerumque usque ad nauseam tritissima: dignus tamen homo fuit, cui mens aut melior aut saltem improbior contigisset. sub eo academiae Lovaniensis Collegium Porcense rhetorum, quos in ludo suo litterario instituebat, oratorum frequentia floruit[378].

Danielis Heinsii[379] doctrinam admiror, eloquentiam multo minus. sordidus est orator et ineptus saepe; cum brevis esse studet – fit supinus et exilis: vis et gratia nulla; cum vero fusus esse vult – perplexe plerumque loquitur[380]; cum fortis – temerarius; dictione

[377] cfr. de Vernulaeo: "Illud in eo mirabamur, quod cum quid componeret ac scriberet, seu vincta seu soluta numeris oratione, nihil unquam bis scriberet, imo ne quidem mutaret, aut deleret aliquid: Adeo foecundum illi pectus erat, ex quo, velut ex limpido quodam ac copiose scaturiente | fonte, sine fece ac luto, unoque tenore fluebant omnia, rite praemeditata, ordinata, composita." *Memoriae philosophorum, oratorum, poetarum, historicorum, et philologorum nostri saeculi clarissimorum renovatae,* Decas quinta, curante M. Henningo Witten, Francofurti 1679, p. 90 sq.

[378] cfr. *Rhetorum Collegii Porcensis Inclytae Academiae Lovaniensis Orationes* <···>, Coloniae Agrippinae 1693. cfr. e. g.: "Audi quidquid hic susurras, nunquid qui omnium rerum dominus est homo, res inter inops erit: non se aliquando ingurgitabit, cujus in usum Deus omnia creavit? iterum agunt, non ferendum est, faciebus larvas inducere. O te hominem impudentem! nunquid prudentiae cujusdam est larvis uti: ut cum nonnulla liberius fiant nulla interim naturae turpitudinis nota inuratur! Videtis Auditores, quod obstet, nihil; intelligitis quid invitet; majorum institutum, consuetudo cepta, utilitas maxima, voluptas suavissima. Quid ergo; majores imitemur, consuetudinem retineamus, genio indulgeamus. Nec verbis hic est opus, igitur. Dixi." Ramberti Verreycken Bruxellensis, *Oratio suasoria. Pro more Bacchanalium in Respublicis Christianis retinendo.* ib. p. 244; et: "Da vocem juste dolor; succurre dolori indignatio, impelle indignationem iracundia. Itane ergo Origophantae foedissimi, ventris inertis mancipia, idolatriae facti sunt Christiani? *etc.*" Nicolai Mourman Jasperiensis *Oratio Dissuasoria. Bacchanalium morem in rebuspubl. Christianis retinendum non esse.* ib. p. 244.

[379] 1580 (sive 1581) - 1655.

[380] cfr. e. g.: "Inter *quos,* si usum, dignitatem, eruditionem, vim atque acrimoniam judicii spectemus, primus nobis semper visus est, *qui* ordine est secundus. In *quo,* ut, *quod* ante dicebamus <···> *Quarum* princeps est Respublica Platonis, tam *quae* decem scilicet quam *quae* duodecim ab eo libris descripta est. *Qua* occasione, vel suo quamque, *quo* hic re-

omnino durus, quamquam elegantiam et inempestivam quandam familiaritatem, quae orationibus plerumque non convenit, affectabat. neque immerito Iosephus Scaliger[381] eum sibi parum constantem – prout a lectione huius vel illius auctoris recens recesserit – dicit. sed hoc meum iudicium sicut in universum valet, ita in partibus invenias ubi vim atque amaritudinem admireris[382], doctrinam viri suspicias atque sapienter dicto vel aliqua festive prolata sententia delecteris.

censentur *etc.*" Danielis Heinsii *Orationum* <···>, Amstelodami 1667, p. 223. cfr. "Mr Vossius [Isaac Vossium dicit] m'a dit, que l'on pouvoit connoître aisément le stile d'Heinsius le père au Pronom Qui, quae, quod, dont il se servoit plus qu'aucun autre. Ce que j'ai verifié avec plaisir." *Colomesiana* in: *Scaligerana, Thuana, Perroniana, Pithoeana, et Colomesiana,* Amsterdam 1740, t. 1, p. 555.

381 in *Scaligeranis,* s. v.

382 cfr. "Utinam affuissetis cuncti qui huc convenistis, cum cadaver aliquot amici medico praesente inspeximus. nemo commutationem tantam sine gemitu vidisset. Frontem illam laetam ac decentem quaerebamus: cum temporibus collapsa erat. generosos illos oculos laetosque: squalor eos ac informis horror occupabat. disertissimum os illud, quod de jure et scientia civili toties disseruit: mutum plane erat ac elingue. [hoc ultimum quidem inepte dixit Heinsius, sicut deinde quoque friget oratio et nimis, iam sine pondere, se effert:] nervos illos ac lacertos, quos plerique in palaestra admirati estis, cum compactum ac torosum illud corpus quovis flecteret aut inclinaret: mors jam eos sibi vindicarat. succulentam illam carnem: ipsam secuit chirurgus, nec invenit. statum illum corporis ac pondus: vix unius erat onus. pedes illos, qui ad saltum militarem nati videbantur: frigus eos obtinebat. illas manus quae cum hastam mira quaterent agilitate ac vibrarent, vobis quoque qui in illa profecistis arte admirationi erant: ne moveri quidem poterant. Viscera interiora, ac praecipue pulmones, causam mali ac calamitatis, indagavimus post mortem: juro vobis, nihil praeter pus invenimus. Obsecro vos atque obtestor qui haec mecum vidistis, aut ex nobis jam auditis, de fragilitate humana mecum ac calamitate ut cogitetis. [hic, postquam latam viam ingressus, optime - nihil quidem novi dicit, sed id ipsum convenit:] Somnium est hoc animal, quod currit, navigat aedificat <etc. ···> Quid est homo? Pituita, Auditores praestantissimi, et bilis. Caetera non addo, ne aures pariter offendam. Pudet cogitare, sed videre magis pudet, quid sit illud quod tam accurate colimus. Probrum nostrum, ubi spiritus excessit, et infamia<m>. Hae me cogitationes saepe impellunt, ut ad animum ejusque curam me convertam." oratio *In obitum Generosi et Nobilis juvenis Ernesti Ludovici a Burcksdorph, ex tempore habita,* in: Danielis Heinsii *Orationum* <···> Amstelodami 1657, p. 136 sq. sed totum hoc nonne περιεργάζεσθαι (et quidem inscite) potius quam διατρίβειν est?

Andreas Schottus[383] grammaticus et antiquarius fuit doctissimus, in mediocri dicendi genere haud spernendus auctor atque vel oratoribus propter rerum copiam legendus; semper tamen humi serpit - quod quidem in oratore vituperaverim, in grammatico vero laudi duco[384].

Daniel Eremita[385] nobilis Belga domo Antverpiensis, servilis homo ingenii, eloquentiae vim non mediocrem assecutus est, ut satis *Panegyrico Cosmo Medices* <...> *dicto* ostendit[386]. istius panegyrici

[383] Andreas Schott 1552 - 1629.

[384] cfr. e. g. ex *Epistula nuncupatoria*: "Sed *Criticum* id omne scribendi genus hodie contemni audio. Scio, et doleo. Temporum id omne, mihi credite, vitium est, non hominum, nisi imperitorum, qui has ipsas litteras vix a limine salutarunt, sed ad sordidas tempestive nimis artes conversi, nuntium iis remiserunt, quibus a vulgo segregari, humoque tolli potuissent: quique vere falso quid in auctoribus legatur vel edatur, cicum, ut Plautino utar verbo, non interduint. His quoque breviter respondeo: Alia nos insistere via, neque mea invitis obtrudere velle, qui haec cum C. Lucilio apud Ciceronem *doctissimum Persium legere nolo, Laelium Decimum volo* [cfr. Plin. nat. hist. praef. 7]. Optamus enim Lectorem medium, neque indoctissimum, neque rursus doctissimum: quod nihil ille intelligat; hic plus fortasse intelligat, quam de se auctor ipse, ac ne his quidem indigeat, quae juventutis nostrae fidei commissae scholis mensisque apparamus. Sed quid hic quaeso non dictum ab aliis aut lectum? Erunt fortasse non pauca. Cavi enim sedulo et mihi imperavi ex lege Laurentium, ne alienum quid in armum tollerem. Igitur quantum licuit, alieno abstinuimus, ne corniculae Aesopicae in morem alienis me plumis ostentans risum aliis commoverem." *Observationum humanarum lib. V* etc., Hanovae 1615, f. 3r.

[385] 1584 - 1613.

[386] cfr. e. g.: "Quis vidit te unquam qui non subito amarit? quis amavit qui non eodem momento amaretur? Voluisti paria cum tuis facere; et praefuturum te hominibus noras, sed hominem. Et ut cives quoque tuos ad spontaneam oboedientiam invitares, civis esse voluisti; dumque Princeps cum tuis civiliter, cives cum Principe agunt humiliter. Praeclarus vero fructus humanitatis tuae, cum hoc benignitate assequeris, | ut primum non tantum loco, et factis, sed et in animis hominum amore et benevolentia sis. Sic firmatur tutius Imperium; non imperando, sed ducendo: sic munitur sine munimento: praeeuntem enim Principem sequimur libentius quam trahentem." Dan. Eremitae *Aulicae vitae ac civilis libri IV. Eiusdem opuscula varia*, Ultrajecti 1701, p. 286 sq. Et: "Languida et tarda in puniendo manus; celer in ignoscendo: hoc uno fere dixeram te Deo aequas [hoc quidem minus latine - O. N.], quod hic vitam dat hominibus, tu conservas: | metum enim non apud tuos, sed apud hostes

quaeris. Nec tam suppliciis, quam beneficiis ingenia tuorum experiri placuit. Securius certiusque visum remedium, ostendere bonos, quam facere; et pati tales esse ultro, quam cogere. Saepius committuntur quae saepius vindicantur; et praepostero naturae vitio arbores crebro recisae, frequentius repullulant: tollendo vitia, vitia augentur; quae dissimulando subcidi posse securius tua clementia docuit. Medicum non funera aut mortes, sed restituta sanitas et in integrum reducta commendat: adeo Principem non continuae caedes aut supplicia, sed pauci civium errores, et emendati potius civitatis mores quam puniti extollent. Impedire enim praestat peccata, quam vindicare. Tibi quod fieri raro solet, si severo esse fuit necesse, ut maximorum scelerum vim tenui animadversione rescinderes, quam lentus, quam dolens, quam invitus, non dico ad caedem, sed ad poenam accessisti? quam saepe excepta illa vox, *periturum te potius quam perditurum*?" ib. p. 306 sq. atque hic quidem passim Plinii Panegyricum Traiano dictum imitatur. ceterum satis apparet, Eremitam utriusque Plinii atque Senecae attentum lectorem fuisse.

et in alio eloquentiae genere: "Aetate est [sc. imperator Rudolphus II] aliquanto confectior, sed praematura et supra annos canities; genas et verticem coloravit, aspectu satis decorus, fronte angusta, et ore non invenusto. oculis lucidis, sed quos hirsuta supercilia pene condant." "Danielis Eremitae Belgae *iter Germanicum vel relatio (epistola ad Camillum Guidium equitem) de legatione Coloreti, oratoris Florentini, ad Rudolphum II imperatorem augustum et aliquot Germaniae principes anno 1609*. d. d. Augustae Vindelicorum, Calend. Decembris 1611": Codex Guelferbytanus 34.3 Aug. 4to, p. 4 et ib. de eodem: "Naturalium vestigatione rerum, et ornamentis picturae ita delectatus est, ut Imperii quoque curas, et negotia principalis fortunae earum artium studio condonaret: quibus sensim magis magisque blandientibus, totum se mox mancipavit. Nam et chymicarum rerum experimenta ipse tentavit, | et horologiis componendis ipse adsedit, contra quam Principem decuit. A solio imperatorio in sellam se opificii transtulit, nec semel illud, aut quo amabili insaniae et vitio curiositatis humanae satisfieret, sed tantum alienissimis studiis indulsit, ut universam illis Reip. tractationem remitteret, a quo prorsus alienus, vix putes meminisse se Imperatorem esse. Iam tabularum quoque immoderatum et insatiabile studium, ut non modo quicquid orbis haberet eximium, sumptibus et impensis Imperii corraderet, sed et integros dies et continuos pingentibus assideret, quib.<us> adeo obstinate et invidiose deditus, ut mentem protinus in iis infixam nimio eorum dilectu imminuerit, eoque velut atra bile et morbo quodam animi correptus, amare solitudinem coepit, et palatii sui cancellos sibi pro carcere circumscripsit.

Iamque ex multo tempore praeter familiares quosdam ministros vix quenquam nisi coactus ad aures suas admittit: quin eo furor ille processit, ut tanquam | plane jam inops mentis non levia quotidie ἀνοίας argumenta edat. Nam et alto et constanti silentio saepe a suis notatus, quod nullius casus interventu rumpatur, et si quis vel leviter offendat, in eum vasa argentea, et quidquid prae manibus est, intentat. Cuius morbi vitio non lenimentum sed augmentum fuit amor mu-

attentam lectionem eis valde commendo qui in magnorum virorum laudibus sibi solidam eloquentiae laudem quaerunt.

Caspar Barlaeus[387] poeta celebris, tumori nimis indulget[388]; qui cum longis sententiis loqui vellet, membra legitime iungi nequivit aut noluit. in prosa vero oratione non defuit ei, cum vellet, dictio simplex et pura[389]; sed plerumque in putidam affectatiunculam fertur[390].

candidus et idem dictione subinanis Petrus Francius[391], scriptor non proletarius. oratione satis copiosus sed numquam concitatiore, ita ut procedente lectione, animi legentium arescant potius quam

lierum, quas aetate et forma commendabiles diligenti cura delectas diligit, quae omnia jam olim coepta, aetatis detritae decursus non remuttit, sed auget, dudumque laborare Respub. et rerum ordo velut destitutus labascere coepit." ib. p. 6 - 8 (Dan. Eremitae *Aulicae* ... op. cit., p. 358 - 359).

387 Caspar van Baerle 1584 - 1648.

388 cfr. P. Hofmanni Peerlkamp *Liber de vita doctrina et facultate Nederlandorum qui carmina latina composuerunt*, Harlemi 1838, p. 342 sq.

389 ut ex opusculo quod est de *Methodo Studiorum* iudicare licet (vide Casparis Barlaei *Orationum liber. Acceserunt alia nonnulla* ..., Amstelodami 1652, p. 488 - 506), nec non *Methodo morum* (in eodem volumine).

390 "Horrendum dictu, Auditores quam cruenta, formidabilis et saeva haec non fictorum hostium congressio fuerit. Pugnavere non laxis spatiis, inter arenas et Brevia, et navi quisque sua, velut fatali circo conclusus, eandem et gloriae et mortis urnam habuit. pavidi vectores dum turbant nautas, vel intempestive juvant, consilia prudentium corrumpunt. Stantes corruunt et vulneris necisque suae auctores nesciunt. Non tam globi glandesque, quam decussae subligaculis et tabulatis partes ac festucae, pugnantes interimunt. Quos antennae portant ac plutei navales, ictu sclopetorum dejectos aquae sorbent. Quos corbis naviumque galea habet, ex imo icti, lapsu, non gradibus descendunt. Aliquis, dum, in adversam ratem intentus, ferire vult, eadem, qua lethi nunciam glandem emittit porta, fati sui causam, mutuam glandem admittit. alicui lectus et cubile pro feretro est, qui locus nocturnae quietis fuit, aeternae noctis factus est." *De victa Hispanorum classe*, Casparis Barlaei *op. cit.*, p. 341. curiosum et hoc: "Quid Columbo, Vespucioque, primis Americae detectoribus, fiduciam fecit, ut relicto veteri orbe, novo exemplo, proras Occidenti obverterent? Aristotelis, Platonis, et forte etiam Senecae loca in causa fuere." *Mercator sapiens sive oratio de conjungendis Sapientiae et Mercaturae studiis*, ib., p. 17 (hodie legitur in: K. Barlaeus, *Mercator sapiens*. ed. S. van der Woude, Amsterdam 1967).

391 Peter de Fransz 1645 - 1704.

studiis, ad quae identidem usque ad ravim vocat, inflammentur. is cum delectare nequiret, melius fecisset, si inutili verborum supellectili reiecta, doceret tantum[392].

[392] cfr. e. g. ex *oratione prima De ratione Declamandi,* habita Amstelodami in auditorio Athenaei maiore anno 1696: "Nunc cum morem hunc [sc. declamandi] laudatissimum conservare, qua possum, coner: cum id faciam hodie, quod politissimae semper gentes, et styli elegantia commendabiles, optimum factu judicarunt; cum id agam denique, quod ipsi Majores nostri, quod amplissimi ac nobilissimi Curatores, quod illustrissimi ac potentissimi Ordines, a Litterarum Professoribus agi, in sua, quam | erexerant, Academia voluerunt; cum id, inquam, agam, quod doctissimi viri isto in loco egerunt; quis fraudi mihi vertet, aut crimini, si eandem viam institero, quam, non dico in Italia Itali, sed in his ipsis regionibus Batavi instituerunt? An in Academia proxima Lipsio licuit et Cunaeo, quod in hoc mihi Athenaeo non licet? an laudandi sunt isti, quod Curatorum decreto, auctoritatique paruerint, ego vero culpandus ac vituperandus, qui istud in me laboris sponte susceperim? Sed et illi recte fecerunt, et ego me non male facere existimo, qui illorum vestigia premo, et laudabilem Veterum istam, ac Majorum nostrorum consuetudinem repeto, et in hunc ipsum, in quo semper Eloquentia floruit, qui semper Oratores habuit, cui reddi Oratoria debuit, revoco ac reduco locum. At aliter plane Veteres, aliter Majores. Sua illi recitabant, non aliena. Ingens crimen, magnum piaculum. Alia erat Veterum ratio, alia nostra. Per omnem illi se vitam in Eloquentia exercebant; | huic se penitus devovebant; et, cur id facerent, rationes sane permagnas habebant: Nostri Eloquentiam Juvenes vix attingunt, et hoc universum prope studium negligunt." *Orationes duae de ratione declamandi* in: Petri Francii *Eloquentiae exterioris specimen alterum,* Amstelaedami 1699, p. 130 - 132. de hac oratione egit Chris L. Heesakkers, "*An Lipsio licuit et Cunaeo quod mihi non licet?* Petrus Francius and Oratorical Delivery in the Amsterdam Athenaeum Illustre": G. Tournoy, D. Sacré (ed.), *Ut granum sinapis. Essays on Neo-Latin Literature in Honour of Jozef IJsewijn,* Leuven 1997, p. 324 - 349. felicior fuit in *Oratione De conjungendo Litterarum et Eloquentiae Studio,* ubi admirabiliter optimum oratorem adumbrat, qualis esse debeat: "Atque ut verbo indicem, in quo praecipue resideat ac consistat Eloquentia, elaborare ante omnia decet, ut bene ordinata splendescat, et meditata oratio: tum ut justis corporis moveat instrumentis, et elocutionis lege proferatur exacta. Neque est hoc dissimulandum, quod occultari non potest, sed aperte fatendum: ducimur nos, propemodum omnes, falsa quadam | ac perversa Eloquentiae opinione, eos disertos atque eloquentes existimantes, qui fluide, qui rapidissime, qui una serie, nullo linguae vinculo atque impedimento, nullo interrupto cursu orationis loquuntur. Date veniam, Auditores, si forte dissentio. Partem isti Eloquentiae, non totam possident. Nam ut sua orationi tribuatur majestas, non una oberrandum est chorda.

Marcus Zuerius Boxhornius[393] quondam eloquentiae professor Leidensis, dictione foedus et vastus[394], cum lutulentus magna verborum profluvie rueret ut orationes eius non tam longae quam sine fine viderentur, dissidentibus atque male consutis sententiis verborum cursum male impediret, orator nullus evasit; obtusi ingenii homo fuit et magni illius Salmasii obtrectator. is taedium mihi tantum movet, atque merito ei accidisse videtur, quod in Huetio legi: "hunc aliquando in angiportu deambulantem adorti adolescentes Germani, Salmasiani nominis valde studiosi, Tune, inquiunt, homo impure" – et forte erat Boxhornius turpis aspectu, facie rubra atque ulcerosa[395] – "scribere ausus es adversus magnum Salmasium? correptumque in

Laterum adsit firmitas, concinnus manuum motus, animae spiritusque contentio *etc.*" Petri Francii *Orationes*, Amstelodami 1692, p. 48 sq. neque tamen omittendum duxi Francii praecepta oratoriae artis in discrimen vocata esse a Menckenio, cfr. "<…> Petrus Francius, artificium jam pridem deperditum quasi postliminio revocare coepit, et novam quodammodo *eloquentiam* commentus est, quam *externam* vocavit. Itaque adolescentes continuo duxit ad speculum, ut, quomodo et ora et oculos ipsasque manus ad singulas voces componerent, hoc veluti magistro discerent; tum vero novos Roscios prodire in theatrum ac declamare jussit orationem quandam Romanae eloquentiae patris Ciceronis, ingenti utique Auditorum plausu, qui ad rem novam, ut solet fieri, non | leviter commovebantur. Verum tantum abest, ut eloquentiam ut potius affectationis turpissimum vitium cum Thrasonismo isto discipulis suis instillaverit Francius, Vir alioquin laude sua nequaquam fraudandus." Jo. Burch. Menckenii *De charlataneria eruditorum declamationes duae*, editio tertia emendatior, Amstelodami 1716, p. 122 sq.

393 Marcus Zuerius van Boxhorn 1612 - 1653.

394 cfr. "Quae cum ego abunde et pro persona, quam gessi, et majestate tua exposuerim, satisfeci officio et causae, et interim alii haud admiserint non satisfactum esse expectationi. In quo bonitatem tuam non potest non aestimare Christianus orbis, qui, quod amantis pacem est, legationis modestia, ante quam belli jure causam honestam hanc jam toties agere voluisti: et eorum iniquitatem non potest detestari, | qui quia pacem odere, aequissima postponunt." M. Z. Boxhornii *Orationum ideae e Selectiori materia moderni status Politici desumptae*, Lipsiae 1661, p. 40 sq.

395 Pet. Dan. Huetii, Episcopi Abricensis, *Commentarius de rebus ad eum pertinentibus*, Amstelodami 1718, p. 125. ceterum de forma Boxhornii cfr. *Sorberiana, ou bons mots, rencontres agréables, pensées judicieuses, et observations curieuses de M. Sorbière*, Paris 1694, p. 44 sq.

profluentem canalis aquam dejicere conati sunt"[396]. ista narratiuncula quaestionis olim a me agitatae admonuit, an homo facie illiberali perfectus grammaticus esse possit. hoc dictu difficile est, nisi verum putemus, sicut de Graecis memoriae proditum a quibusdam deorum caerimoniis illiberali facie homines summopere arcere, ita philologiae, quae res est pulcherrima, studiosos turpes esse minime decere. siquidem accepimus Petrarcam, Ruhnkenium, Salmasium, Gesnerum, Lipsium[397] maximi ingenii viros, pulchritudine, non ea quidem qua flos commendatur aetatis (quamvis Petrarca adulescens ea potissimum gloriaretur[398]) – haec enim non requiritur – sed quae ad virilem dignitatem spectat, maxime praeditos fuisse; et quos ea formae dignitate se minus commendari videbant, id vitium vehementer doluisse, ut Angelus Politianus, acutissimi vir ingenii, moleste deformitatem suam ferens. Huetio paulo austerior vultus, recto naso et grandiore ore, iucundus tamen murreo crine caeruleis oculis, longis digitis et cuticula delicatissima[399]. et contra Aegidio Menagio[400], viro amabilis ingenii, oris gratia nulla. idem in Mureto lugemus[401]. at merito absurda et quasi natantis facie praeditus erat Schurzfleischius[402], nimirum dignum ingenio domicilium nanctus. pusillus homo fuit Melancthon. procerus et decora facie Iulius Scaliger[403], decentior quam sublimior filius eius Iosephus, vigore in vultu

[396] Pet. Dan. Huetii, *op. cit.*, p. 125.

[397] cfr. "corpus et facies non indecora, utique ante morbum: os probum <···>" Iusti Lipsii *Opera*, Vesaliae 1675, vol. 2, p. 314 (ex epist. Kal. oct. a. 1600 data).

[398] vide Petrarcae *fam.* 24, 1, 11 (Francesco Perarca, *Le familiari*. Edizione critica per cura di Vittorio Rossi, Firenze 1942, vol. 4, p. 217), ubi et haec leguntur: "<···> michi non alteri dictum rebar, quotiens pastorium illud vel legerem vel audirem: *O formose puer, nimium ne crede colori.*"

[399] cfr. Fabienne Gégou, *Lettre-traité de Pierre-Daniel Huet sur l'origine des romans* <···> Paris 1971, p. 36 sq.

[400] Gilles Ménage 1613 - 1692.

[401] cfr. "il avoit mauvaise mine" *Anecdotes littéraires*, Paris 1750, t. 1, p. 36.

[402] de eo vide infra p. 181 - 184.

[403] cfr. "<···> eximia quaedam oris et staturae dignitas" Sc. Sammarthani *Elogiorum liber I*: in *Scaevolae et Abelii Sammarthanorum Opera*, Lutetiae Parisiorum 1633 (ed. anast. Genève 1971), (t. 1), p. 29.

spectabilis[404]. benigna sors Hugoni Grotio[405] et Cunaeo. forma corporis minime commendabatur Heynius[406]. Lichtenbergius, homo philosophus, brevis staturae atque gibber erat, at quanti fuit vir ingenii! Cartesio turpis facies[407]. iam sentio me passim quoquoversus ferri et vereor ne nimis levis homo tibi videar: utcumque res habet, faciamus quod in nostra potestate est, reddamus nosmet ipsos meliores, nam cetera fortuita sunt. adnotasse tamen mihi videor, plures illiberali facie malos philologos esse, quam pulchra bonos atque eloquentes; ex quo colligere licet, artem hanc quam publice profitebamur, apud mortales, ut nunc res sunt, non esse in magno honore, cum optimus fere quisque universitates (sit venia verbo) abhorreat. sed et reliquam Belgarum laudem percenseamus.

prior Burmannus[408], praeter Belgarum morem, qui fere argutum malunt dicendi genus[409], virilem orationis dignitatem tuebatur,

[404] cfr. Danielis Heinsii verba: "Forma eximia fuit nisi quod collapsa tempora ac cava saepe materiem iocandi illi darent. Statura non tam alta ac procera quam mediocri ac habili, quod non nisi ex astantis alicuius qui procerus esset comparatione deprehendebatur. Oculis sagacibus, et qui illum animi vigorem prae se ferrent, acutis autem adeo ut vel minimos quosque ductus, minima quaeque ac morosissima Orientis puncta atque apices <···> ad mortem usque assequeretur." in: Iosephi Scaligeri <···> *Epistolae omnes quae reperiri potuerunt, nunc primum collectae et editae* <···>, Lugduni Batavorum 1627, p. 842.

[405] cfr. *Sorberiana*, Paris 1694, p. 113 sq.

[406] C. Bursian, *Geschichte der classischen Philologie*, München - Leipzig, vol. 1, p. 477.

[407] "M. Descartes <···> étoit un homme de mauvaise mine, qui n'avoit rien d'agréable" *Naudaeana*, Paris 1701, p. 113.

[408] Pieter Burman 1668 - 1741.

[409] cfr. Dan. Georg. Morhofii *De pura dictione latina liber*. Io. Laur. Moshemius *edidit et notas adiecit*, Hanoverae 1725, p. 36 sq.

dictione duriusculus[410]. Petri Burmanni Secundi[411] ingenium minus ferax fuit et genus dicendi abiectius.

quantum Oudendorpius[412] a Cunaeo degenerat! omnia eodem spiritu effundit, nihil variat, nihil ex impetu remittit, neque tamen tenorem orationis viriliter sustinet; ne multa – eloquentiae professor est, quales plerique non prorsus mali esse solent. quod autem peius est, latinae linguae indolem parum observasse videtur; verborum quae adsumit proprietas saepe incertior, inde oratio flumini lutulento similis[413]. eadem quoque sententia Arnoldum Drackenborchium[414] oratorem amplectendum putarem, nisi haud mediocrem sermonis

[410] cfr. e. g. "Quam nullo negotio aliquis, non alia dote nisi desidia commendandus, hodie ad summam laudem pervenit, et in sublimi et illustri gloriae loco collocatur? Huc redit omnis labor, ut dormiat in multam lucem, vestiat se lente, languide in publicum prodeat, incedat mimico gradu, ac si sacra ferret, | eat redeatque eamdem viam centies, aliquando caesariem componat, consulat speculum; negligentius cantillet, ioco et ludo diem, tarde nimis pro voto ad vesperam inclinantem consumat, quae tandem obortis tenebris amaenissimam desidiae scenam aperit. Erigi sibi sub noctem, quem diurnae morae taedium adflixerat, videtur piger; ad cathedras muliebres, vel aequalium comessationes concurritur, ludicris, alea, iocis, dicteriis, calido et vino potando, genialis vespera componitur, quae, quia spatio, quam oportet, contractior est, in noctis tempora educitur." Petri Burmanni *Oratio pro pigritia*, Berolini 1740, p. XVII sq.

[411] Pieter Burman II 1714 - 1778.

[412] Franz van Oudendorp 1696 - 1761.

[413] cfr. e. g.: "Sed quid diutius his vel levioribus vel obscurioribus inmoramur? Alio potius nostra se convertat Oratio, et quos, ad Ethnicorum superstitiones, ac civilem, tum publicam, tum privatam, et militarem vitam pernoscendam, usus commodent litteris signisque figurati lapides, raptim, quantum pote, percurramus. Ac primo liquidissimam auctoribus faciunt fidem, eorumque de singularibus deorum dearumque titulis ac nominibus testimonia evidentissimis documentis corroborant, et perspicua claritudine subfundunt. Nec vobis id videatur mirum: quum Graeci Latinique scriptores ad ipsos illos lapides, qui vel ante ora oculosque praesto fuere, vel mentibus inhaerebant, persaepe adluserunt." Francisci Oudendorpii *Oratio de veterum inscriptionum et monumentorum usu*, Lugduni Batavorum 1745, p. 15.

[414] Arnold Drakenborch 1684 - 1748.

integritatem satis perspectam haberem[415]. non equidem infitior ambo praeclaros grammaticos fuisse; cum autem ex bibliothecis ubi consenuerunt umbra in publicum prodirent, tamquam ad solem caecutiebant atque omni gratia destituti, non oratores bonos sed diligentes tantum se liberalium artium doctores ac eloquentiae institores praestabant. utroque praestantior atque minus ligneus orator Iacobus Perizonius[416] fuit[417]. hisce tribus simplicior atque gratior

[415] cfr. de utilitate ex latina eloquentia theologis capienda: "Qui enim ad exemplar Latinae eloquentiae, cuius humanitatis Professor certissimas regulas praescribere solet, vernaculae nitorem componere didicerunt, satis experti sunt, omnium sese, qui aliqua iudicii laude censeri se cupiunt, favorem et applausum promereri, quod sublimia quaeque et excelsa gravibus ac rerum Divinarum maiestate et amplitudine non indignis vocibus exprimere norint: at contra qui, neglecto eloquentiae cultu, cruda et impolita studia in suggestus ac pulpita impulerunt, nisi pudore obmutuerint, testari poterunt, se partim illiberali ac vili sermonis genere, partim nullo more aut exemplo effictis verborum ampullis vel auditoribus ludibrio esse, vel, nisi popularibus ac tribuniciis declamationibus imperitae et optimatum fortunae semper invidentis plebeculae gratiam captaverint, a circumstante corona deseri, et in templis solos relinqui." *De utilitate et fructu, qui ex Humanioribus disciplinis in omne hominum et doctrinarum genus redundat, cum Historiarum et Eloquentiae Professionem auspicaretur, habita Traiecti Batavorum ad d. XXV. Maii 1716*, in: *Clarissimorum virorum orationes selectae*, collegit Io. Erhardus Kappius, Lipsiae 1722, p. 235.

[416] Jacob Voorbroek 1615 - 1715.

[417] cfr. e. g.: "Quisquamne ergo inter doctrinam professos tam insulsa esse potest et perversa mente, qui simplicem eius cultum, nativam vim, usum, leporem, fastidire pulchrum putet, videlicet, ut quum aliquando Latine loquendi aut scribendi usus ipsi venerit, Latine nesciat? Si qui sunt, qui rationis excolendae studio, aut rerum discendarum praetextu, omnem orationis ornatum, et linguae, qua in Academiis res quisque suas tradit, peritiam aspernatur, nae illi sedulo agunt nihil aliud, nisi ut cum sua ratione insaniant, siquidem audent sperare, mandatum sibi unquam iri Academicam provinciam, venturamne Latine scribendi lubidinem. Quid enim? quanto quis pulchriora et saepe aliis obscuriora eruit ac invenit, tanto utique magis iusto ea orationis lumine illustrare posse debebat, ne emicantem sua opera e tenebris scintillam, spissioribus mox obruat vel involvat. Neque vero postulamus, ut quis maiores illas disciplinas, quibus destinatus devotusque est, prae linguis veteribus earumque deliciis negligat, aut in perdiscendis vocabulis et loquendi formulis consenescat: sed ut cum rerum utilium scientia coniungat eius linguae peritiam, ex cuius

Carolus Andreas Dukerus[418]. is quidem loquitur non diserte, sed rem, quam ubique tenet, placide apteque explicat[419]. his iure subiciatur Reitzius[420], Gronovii, Drackenborchii, Burmanni, Dukeri aliorumque illustrium virorum in Traiectina Academia successor; qui cum esset malus latinitatis auctor, non tamen omittendum duxi eius de recentiorum latinitate iudicium, primo quidem aspectu sanum, si autem propius accedas, dirum atque funestum, cum neglegentiam

locupletissimo penu illas copiosius et prolixius haurire, et cuius instrumento eas dein commode et perspicue alios, neque unius Gentis, sed totius Orbis Eruditi homines, docere queat." Iacobi Perizonii oratio *De usu atque utilitate Graecae Romanaeque Linguae, Eloquentiae, Historiae, et Antiquitatis in gravioribus disciplinis, dicta publice Nonis Quinctilibus 1693 quum Historiarum, Eloquentiae, et Graecae Linguae in Academia Lugduno-Batava docendae professionem susciperet,* in: *Clarissimorum virorum orationes* op. cit., p. 146.

418 Karl Andreas Duker 1670 - 1752.

419 cfr. e. g.: "Itaque nusquam prope magis torqueri, atque inter se dissidere videas Interpretes, quam in verbis, quorum anceps ac varia est potestas, quaeque non unam possunt admittere expositionem, enodandis. Nam pronus est in ea re lapsus, ac difficile eam, quae potissimum loco, quem tractant, convenit, eligere; his primam et propriam notionem esse adfirmantibus, quam illi accessoriam ac translatam esse contendunt. Hinc nihil est, quod frequentius legas, quam ut scripta veterum interpretantes ita dicant: haec est genuina et naturalis huius vocis significatio, aliae adscitae: proprie utitur hoc vocabulo Auctor, alii improprie. At si deinde inquiras, quibus argumentis, quibus indiciis ac testimoniis illa tam confidens adseveratio nitatur, non raro pro maximis et certissimis mediocria ac dubia, interdum plane nulla proferri invenias. De quo si quis mihi non credendum putabit, is plerosque, Poetarum praecipue Graecorum et Latinorum, Interpretes inspiciat, a quibus, quum diu ac multum eos pervolutaverit, incertior ut plurimum, quam venerat, discedet. Nec tamen id ubique magis illis vitio vertendum, quam tenebris, quibus hae res circumfunduntur, tribuendum est. Nam innumera profecto sunt in hoc verborum recte interpretandorum studio adeo occulta, tantaque obscuritate involuta, ut etiam qui non tenue doctrinae lumen ad ea protrahenda et illustranda adhibuerunt, saepe nebulas dispellere non potuerint, et a recto itinere in devia abrepti fuerint." Oratio inauguralis: *De difficultatibus quibusdam interpretationis Grammaticae Veterum Scriptorum Graecorum et Latinorum, dicta publice ad d. V. Kalend. Iun. 1716 quum Historiarum et Eloquentiae professionem in Academia Traiectina susciperet,* in: *Clarissimorum virorum orationes* op. cit., p. 272.

420 Johann Friedrich Reiz 1695 - 1778.

commendaret, sermonis venustatem nescio quibus "ipsis rebus" postponerent. quasi in litteris "res" non ipsae litterae essent. at profecto si litterae sine arte tractantur et animo nullam delectationem utilitatemque afferunt, nullae fiunt. sed, quod promisi, verba ipsius praesto: "<···> eorum subscribamus sententiae, qui aliquam Latinitatis jacturam aut neglectionem multo excusatiorem esse censent, quam vel minimam bonae mentis."[421] ex quo tibi, homo inepte, bona mens latinitati opponi solita? atque similes ineptias non tantum apud Reitzium (nam is ne in eam quidem partem excellit, ut in absurde dictis nova quaedam atque vulgo inaudita proferat), sed apud eiusdem temporis grammaticos saepenumero legi. non est mirum post duo amplius saecula talium nugarum, magnum esse hodie in Germania professorum numerum qui vernacula etiam lingua infantes sunt atque omnium elegantiarum expertes. sed si Reitzius stulte tantum dictis mihi innotesceret, huc non adduceretur. in eadem oratione meliore mente sic pergit: "Ille enim mihi magis facundus videbitur, qui nervosus in dicendo et perspicuus, gravitate rerum et argumentorum pondere sese commendat, licet eidem | aliqua posterioris, modo non plane barbari aevi, vox exciderit, aut vocabulum etiam solis forsan poetis attribui solitum, cetera nitido et casto, quam qui nihil ab aurei aevi severa norma recedens puris verbis abundantem, rebus vacuam fundit orationem."[422]

Tiberius Hemsterhusius[423], insignis humanitatis atque industriae vir, sensibus generosis ubique pollet[424]; defuit tamen ei latini sermonis

[421] Ioannis Frederici Reitzii *Oratio inauguralis, Qua demonstrare voluit, criticum artium scientia carentem esse hominem Platonicum.* Trajecti ad Rhenum 1748, p. 29.

[422] ib. p. 30.

[423] Tiberius Hemsterhuys 1685 - 1766.

[424] cfr. e. g.: "Equidem non diffiteor, occidente Graeciae libertate, decus eloquentiae maximopere fuisse imminutum: postquam enim libertas delibata servituti, quantumvis speciosae ac tolerabili, locum fecit, Graecorumque oculi in excelsa imperii Romani dignitate obstupefacti haeserunt, defloruit ille erectae indolis spiritus, et, quum omnis ingeniorum vigor ad subdolam blandae atque adulatricis orationis versutiam converteretur, secum

facilitas (sentias illi scribendi exercitationem defuisse), quae ex multum scribendo acquiritur.

Lusitanorum disertissimus Perpinianus[425] habetur, quem supra inter Italos rettuli quoniam ibi demum exercuit eloquentiam. alter ab eo

masculae ac robustae eloquentiae ruinam traxit: quo tamen in casu, quae gravem hanc imposuit plagam, Romae calamitas Graeciae est solatio: quid enim ille victor et dominus orbis terrarum populus? quid Senatus singu|lorum Regum speciem praeferens? quam brevi temporis articulo sub Caesarum dominatu ab alto maiestatis fastigio sponte defluxit an deiectus est. Graeci nihilominus in hac obnoxia rerum suarum conditione pristinae memoriam gloriae saepe revocarunt, et quam scribendi virtutem, avitae indolis haud capaces, magni et liberi animi notis insignire non poterant, arguta subtilitate tutabantur: hi quidem recentiores neutiquam ad veteres illos et vere genuinos sunt comparandi; attamen tanto meliores, quo propius eos vel nativa ingenii bonitas, vel contentum optimos imitandi studium ad perfectissimum antiquorum exemplar admovit.

Poteram in hoc orationis conquiescere termino, nisi futuros existimarem, qui dicta secus interpretati, quicquid a me Graecorum laudibus accumulatum est, aetatis nostrae gloriae detractum putabunt: cum quibus ut in gratiam redeam, opera mihi studiumque paucis navandum videtur. Etenim sic animum induxi, disciplinarum, quae maximos in hominum vita fructus, praecipuamque habent celebritatem, rationem esse bipartitam: quarum hae nostris ingeniis accommodatae, et ex cognitis fontibus profluentes, humanarum actionum finibus circumscribuntur: aliae, perfractis humanae conditionis claustris, naturam rerum abditasque causas perscrutantur, nec, nisi post longas inanium opinionum experimentorumque ambages, exiguam speratae veritatis particulam adipisci possunt <···> Equidem ut in hac posteriore scientiarum parte multum nos Veteribus antecellere concedo, et ultro profiteor, sic in prima vicissim antiquos palmam nobis praeripere, fidenter asseverare non dubito: illi enim, et nascendi felicitate, et uberrima ingeni vena, et animi | magnitudine, et rerum usu, et honorum stimulis adiuti, humanitatis studia sic expoliverunt, ut aliquam istius perfectionis partem attigisse in summa laude poni debeat. Quantum igitur ab huius seculi, praestantissimarumque, quibus floret, scientiarum contemptu absum, tantum vetustatis honori iustisque titulis faveo: quod si quis praeclaras utrorumque doctrinas consociare studeat, is mihi demum ad veram solidamque eruditionem recta via contendere videtur." Tib. Hemsterhusii *Orationes et epistolae*, collegit <···> Frid. Traug. Friedemann, Weilburgi in Nassovia 1839, p. 50 - 52.

[425] ceterum quasdam Perpiniani epistulas nuper dedit Donatus Palazzo, vide: *Quinto Mario Corrado. Umanista del '500.* a cura di Donato Palazzo, Galatina 1978, p. 150 - 179.

erit mihi Jacobus Tevius[426]. ceteri oblivione, qua hodie sepeliuntur, digni.

Hispania saeculo XVI magnorum virorum ferax, ut quae Ludovicum Vivem, Ioannem Marianam, Petrum Ioannem Nunnesium, Antonium Augustinum tulerit[427]; postea exaruit[428] litterisque paene nuntium

426 fl. saeculo XVI mediante. cfr.: "In Gallia cum versabar, quotidie audiebam gravissima furta, rapinas, incestus, peculatus, sacrilegia committi, his etiam caedes crudelissimas adjungi, ut peregre proficisci nemini tuto liceret, pluresque praedones nemora ac sylvae quam feras aut pecudes tegebant. Ac praeterea nova quotidie tormentorum ac suppliciorum genera excogitabantur; quia nova quotidie scelera et inusitata flagitia oriebantur, et quodammodo pululabant. Sed nescio quo | pacto cum tot ac tam gravibus poenis perditissimorum hominum numerus magis ac magis augebatur, nec enim illa erat recta administrandi imperii ratio, nec hominum cupiditates hoc modo coerceri et peccatis deterreri, sed multo magis plerumque irritari solent. Majores si quidem vires, et ad mores componendos, et ad regni tranquillitatem, imperantis virtus et moderatio, quam acerbitas ac crudelitas habet." *Oratio in laudem Joannis III, invictissimi Lusitaniae et Algarbiorum Regis, Publice pronunciata Conimbricae*, in: Jacobi Tevii Bracarensis *Opuscula, quibus accessit Commentarius de rebus ad Dium gestis*, denuo in lucem edi curavit Joseph. Caietanus Mesquita, Lusitanus, Parisiis 1762, p. 12 sq. et: "Sed hos omnes Coius Sofar homo Italus facile anteibat. Is Surratem, Ruinelemque et alias opulentissimas Provincias tenebat: multus ei rei militaris usus, multa peritia; idem imminentia primus videre, praesentibus periculis obviam ire, hostium explorare consilia, suis atque inimicis cum res posceret juxta comis, ac facilis simulator, ac dissimulator [agnoscimus Sallustii imitatorem]: eoque amicitiae conciliandae mirus artifex: cum et humanitatem vultu praeferret et oratio|ne: iram, odium, vindictae cupiditatem, occulta in animo haberet, quae in tempore, majore hostium detrimento, ex inopinato expomeret: suorum consiliorum adeo celator, ut saepius eventu rerum in ipsius oratione, aut alio quovis indicio proderentur: acta, promissa, fidem, jusjurandum ad suam omnia utilitatem referre. Is adeo Regi se insinuarat, adolescentisque animum adhuc simplicem ita sibi devinxerat, ut prope unus secretiorum consiliorum esset conscius." id., *Commentarius de rebus apud Dium gestis anno 1546*, in: *op. cit.* [pars II], p. 17 sq.

427 utilis praeterea ad res cognoscendas est liber q. i. *Clarorum Hispanorum opuscula selecta et rariora tum latina, tum hispana, magna ex parte nunc primum in lucem edita, collecta et illustrata a* Francisco Cerdano et Rico [Francisco Cerda y Rico 1730 - 1792] ..., vol. I [quod est et unicum] Matriti 1781. illic quorundam oratorum atque poetarum saec. XVI opera invenies. memini me, cum primum hoc volumen evolverem, tota nocte carmini quod inscribitur *De raptu martyris Guardiensis* inhaesisse. Est opus vere horrificum admiratione simul et

indignatione dignum. auctor est Hieronymus Ramirus. salve Hispaniae flos pulcher, feralis! sic ille puerum in crucem actum describit:

"Ecce cruci scapulas infans plantasque manusque
Admovet, haud totum dimensus corpore lignum.
Haereat ut pendens clavis transfigitur imis,
Horrisonosque cadens exercet malleus ictus,
Perque trabis latae nodos transmittit acuti |
Duritiam ferri. Chordis puer ipse canoris
Tensior erigitur, nec crux, cui fixus inhaeret,
Infoditur tellure, suo se pondere firmat
Speluncae dorso incumbens. <···>
Exhausto prope iam pueri de corpore sanguis
Fluxerat, et raris manabant vulnera guttis,
Venarum quum sector atrox (seu pectoris aestu
Nubilus, obfususque oculos caligine noctis,
Sive volente Deo, dextram qui duxit iniquam,
Ut faceret vulnus, Christo quod cuspide miles
Fecerat eliciens puro cum sanguine lympham)
Percussit dextrum ferro latus, intima quaerens
Corda manu, et digitis vellens spiramina vitae.
Tum puer: Hac quid quaeris, ait, saevissime tortor?
Si cordis latebras nostri rimaris, aberras;
Ad laevum te verte latus, nec plura loquutus.
Ille opus inceptat rursus, cultroque mamillam
Percutit oppositam, magnique foraminis instar
Rimam aperit, diram qua condat in ilia dextram.
Molle iecur, fibrasque occultaque viscera tactu |
Laedit, in optati donec penetralia cordis
Incidit <···>"

Hieronymi Ramiri *De raptu innocentis martyris Guardiensis libri VII*, [pr. ed. Madriti 1592] op. cit., p. 46 - 48. leges et cetera non minus atrocia.

428 cfr.: "Fateor equidem deesse hoc tempore in Hispania spiritum illum eruditionis, qui omnem scientiarum partem debet implere, deesse robustam illam Latinae eloquentiae venustatem, sine qua vix ultra balbutiem squalens sapientia aliquid potest." *De peregrinatione in Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam* in: *Rhetorum Collegii Porcensis Inclytae Academiae Lovaniensis Orationum Partis Secundae, Sive Dissertationum Politicarum Stylo Oratorio explicatarum a* Nicolao Vernulaeo <···> *decades duae*, Coloniae 1704, p. 89. cfr. praeterea orationem *De causis corruptae apud Hispanos eloquentiae* in: Joachimi Traggia *Orationes latinae*, Caesar-Augustae 1783, p. 50 - 72. de Hispanorum saec. XVIII condicione: "<···> adde, si quis in Hispania vivat, qui Praeceptoribus eruditis destituti sumus, qui Dictionarium satis exactum non habemus: de quo jam suo tempore conquerebatur summus Vir *Joannes Ludovicus Vives* (*De tradendis disciplinis lib. 3*) qui stili castigatoribus egemus; mirum non est; si in vocabulum aliquod parum Latinum, aut in phrasim insolentem impingamus." Gregorii Majansii ... *Epistularum libri sex*, Valentiae Edetanorum 1732, p. XIX; et ib.: "<···> nihil in Hispania minus quam literae curantur. Paucissimi sunt qui colunt eas: ceteri barbariem." p. 307 (ex epistula ad Io. Burch. Menckenium a. 1730 data); idem Maiansius praeclare de causis corruptionis apud Hispanos linguae latinae egit in: *Orígenes de la lengua Española, compuestos por varios autores*, Madrid 1737, 2 voll. (vide vol. 1) et in *vita Emmanuelis Martini*: "in patria contemni neglegique elegantiores literas" (in: Jacobus Bruckerus, *Pinacotheca scrip-*

remisit, cum praeter Ioannem Ludovicum Cerdam[429] virum industrium, in adnotationibus ad Vergilium etiam eruditum[430], paucissimos praestaret, qui cum magnis illis viris in eloquentiae atque doctrinae certamen descendere possent. etenim consulto omisi Melchiorem Cerdam[431], qui rhetoricae quaedam praecepta consarcinavit, quorum maxima laus est si silentio transmittuntur; scripsit praeterea *Consolationem ad Hispanos propter classem in Angliam profectam subita tempestate submersam*, quam in editione anno 1621 (s. l.) recusa legi. in hoc opere laudo quidem sanam hominis mentem quod praeceptis suis rhetoricis non obtemperavit, itaque saltem nihil absurde dicit; ceterum orationis tenor abiectus rerum magnitudini non respondet[432].

torum nostra aetate illustrium ..., Augustae Vindelicorum 1741, vol. 1 (decas 1), f. 10^{v}). curiosum et illud Vavassoris: "De Hispanis Hispano multo credo magis, apud quem scriptum memini legere me non pridem, nihil esse quidquam tam Hispano homini, quam Latinum sermonem, contrarium, quo fit, inquit, ut si quem in librum inciderint misere ac foede conscriptum Latine, sibi pro suo non temere vendicent [sic]: si purum et emendatum nacti sunt, illico non modo conjiciant, sed etiam certo sciant, hominis longinqui, et alienigenae, non Hispani esse." *Oratio tertia. Pro vetere genere dicendi, contra novum. Fixae Andegavorum. XIV. Cal. Novemb. 1636.* in: Francisci Vavassoris S.J., *Opera omnia*, Amstelodami 1709, p. 204.

429 Juan Luis de la Cerda ca. 1560 - 1643.

430 cfr. gravissimum Gesneri iudicium: "In <···> amplo et copioso commentandi et explicandi bonos libros genere principatum fert, si quid iudicare possum, Io. Lud. de la Cerda, cuius in Virgilium commentariis quid absolutius fieri possit, non video." Io. Matthiae Gesneri *Opuscula minora*, Vratislaviae 1745, vol. II, t. 7, p. 292.

431 v. supra p. 71.

432 cfr. "O fortunata mors, quae naturae debita pro religione potissimum est reddita, in praelio ipse Mars, ex acie fortissimum quemque pignorare solet, Quid igitur miramini, si in medio mari, mors tot viros fortissimos, nondum ad arma congressos praeoccupaverit? quamquam, quid est, quod dico, nondum in praelio versantes, nostros fuisse praeoccupatos morte non ignoramus. Jam ab illo temporis puncto, cum se dederunt in hostium conspectum et nostra classis adversariam expectabat, et illam nostri alacres insequebantur, appetebant praelium, non deposcebant solum nisi continuisset illos Imperator, et ad suum tempus congressum reservasset. Est gloria quidem hujusmodi, quae omnem luctum debet abstergere, quid si utilitates animorum perceptas consideremus: de-

Gregorius Maiansius[433] scriptor saeculo XVIII celebris – et quidem non tam apud Hispanos (quorum paucissimi magna viri de litteris merita iusto pretio aestimare potuerunt) quam exteros – latinitatis auctor habebatur. is quidem inter Hispanos sui temporis Latinus etiam videri potest, inter Latinos vero Hispanus mihi videtur; et sibi

sinamus lugere vitam ablatam, quod antiquorum erat, quod miserorum hominum est, quod improborum proprium, qui mortui ad inferorum sedes poenas flagitiorum suorum luent: nostri vero, qui in expeditione vim tempestatis subierunt, cum a tempestate ad tranquillitatem, a fluctibus ad quietem, a laboribus ad praemia, ab hoc saeculo ad coelorum immortalem gloriam vocati fuerint, quid est, quod nobis angorem aliquem aut luctum afferant? qui tam sancte comparati, qui maculis omnibus peccatorum elutis in difficilem hanc navigationem se dederunt, et ad mortem pro religione subeundam alacres natitabant piorum sedem et locum non consecuti fuisse consequuntur." p. 14 sq.

[433] Gregorio Mayans y Siscar 1699 - 1781. de se ipse fatetur: "Ad *stilum* quod attinet, loquendi proprietatem, et perspicuitatem semper adamavi. Si alicubi non sum assequu|tus, commonefieri gaudebo, ne iterum ad eundem lapidem offendam. Scio me scripsisse in extranea lingua, quamque ego didici, nullo praeclaro magistro. E ludo literario prodii sicuti in Hispania solent ii, quibus ingenium mediocre, studiumque alacre. Nullum deinde Directorem habui. Ea via incessi qua me genius duxit. Scriptores quos omnium consensu sciebam optimos esse, assidue tractavi. Stilum, quantum potui, exercui, scribens literas ad eruditissimos viros, praesertim ad *Emmanuelem Martinum* Decanum Alonensem, nostrae aetatis ornamentum. Et licet quo tempore primas ad eum dedi literas, ipse pro sua egregia humanitate, nimiaque de me, deque meo stilo testimonium dederit ["La Carta Latina del Señor Don Gregorio Mayans, me ha llenado de gozo, i admiracion <···> Tengo conocimiento de todas las mayores plumas de España, i puedo jurar, que ninguna està mas bien templada, i que no he visto pisar con mas tiento, i delicadeza la angosta, i espinosa senda de la Lengua Latina, libre de los abrojos, i cambrones de que està llena." *Hoc capitulum descriptum fuit ex Emmanuelis Martini Epistola data Alonae, Anno 1720. decimo septimo Kal. Januarias.* – adn. Majansii], ut inter Latinae linguae cultores non infimum in Hispania locum obtinere viderer: tamen ingratissimus essem, nisi publice faterer, testarerque, me multum debuisse hujus excellentis viri monitis gravissimis, praeceptisque praeclarissimis." Gregorii Majansii ... *Epistularum libri sex*, Valentiae Edetanorum 1732, p. XXI sq. (opus q. i.: Gregorio Mayans y Siscar, *Epistolario*, Valencia 1991 non vidi). litterarum curiosis legendus est libellus, q. i.: Georgius Raminasius patricius Atheniensis [q. e. Maiansius], *Chocolata sive in laudem potionis indicae quam appelant chocolate, elegia*, 1733.

magis placet quam mihi. in epistulis non sine fructu legendus, in orationibus atque dissertationibus tumidus evasit. quare oratori, quem instituimus, Maiansium inutilem esse puto, sed eundem valde eis commendo qui in historia litterarum saec. XVIII contexenda versantur[434]. de ceteris Hispanis haud meliora sentio. cum Wolffenbutteli (Guelferbyti) degerem, incidi in volumen satis rarum q. i. *Clarorum Valentinorum ... Orationes selectae*[435], quae tamen orationes Valentinorum laudi incrementum nullum afferre videntur. memorabilis sane inibi extat *Oratio pro crepitu ventris habita ad Patres Crepitantes ab* Emmanuele Martino ecclesiae Alonensis Decano[436]. ceterum Martinus[437] iste auctor est minime spernendus et vel ipsi

434 commercia litterarum fuerunt inter eum et Ruhnkenium (vide Vincent Peset, *Gregori Mayans i la cultura de la Il·lustració*, Barcelona - València, 1975, p. 127 sq.), Volterium (Voltaire. ib. p. 180 sqq.), Ioannem Burchardum Menckenium (ib. p. 54 sqq.), Gerardum Meerman (Geert Meerman 1722 - 1771. ib. p. 115 sqq.), Petrum Burmannum Secundum (ib. p. 139 - 141), al.

435 Lausannae 1767.

436 ib. p. 90 - 117. eadem oratio invenitur in: Emmanuelis Martini, ecclesiae Alonensis Decani, *Epistolarum libri duodecim* ..., Amstelaedami 1738, t. 2, p. 257 - 271, cfr. (propius initio orationis): "Aliis in urbe pestibus grassari impune licet; optimo civi, atque optime quidem de singulis merito, patria perfrui aura non licet. Siquidem eo insaniae atque vecordiae hominum devenit audacia, ut nisi vobis, *P<atres> Crepitantes*, aut cura aliqua Crepitus conservandi, aut libido fuisset; jam de ejus nomine vel incolumitate actum videretur. Rem sane omnium difficillimam agnosco, ea quae communi hominum arbitratu atque sententia inveterata sunt, vel funditus evellere, vel alio, quam infixa mentibus opinio permittit, detorquere. Sed cum saepe vel ignorantia, vel caeco eorum qui suggerunt livore, sententiae huc illuc faile distrahantur; ingentem animo fiduciam haud temere concepi, a me, si receptam vulgo de Crepitu opinionem diluerim ac debellarim, revocatum iri ac restitutum. Quod haud equidem ambigo mihi ex animi sententia eventurum, si ejus ortum, educationem, liberalium disciplinarum peritiam, animi dotes, virtutis splendorem, dignitatem, auctoritatem, reique qua publicae, qua privatae utilitatem demonstraro. Nec non male feriatorum capitum calumnias, et convitia in eum [sc. Crepitum Ventris] jacta veritate duce ac fortuna comite dissipavero." p. 257.

437 Manuel Martí 1663 - 1737.

Maiansio praeferendus, utpote minus durus. genus sermonis floridum et eruditum coluit[438]. sed omnium fere Hispanorum vitium est sermonis durities et nescio quae tumida asperitas.

[438] cfr. navigationis cuiusdam descriptionem: "Unum erat nobis vectoribus perquam molestum, mensa. Quae sordida profecto atque illiberalis. Ut mihi viderer inter Scythas potius, quam inter Anglos versari. Ergo tetro | ciborum aspectu et illuvie ad id inediae redigebar, ut buccellatum tantum vino intinctum reficiendis viribus adhiberem, vel Indicam potionem. Donec ineptissimo illo coquo Anglo in malam crucem amandato, rei pationariae [patinariae] Ligurem quendam praefecimus, qui in famulatu erat Marcionis nostri. Cuius tanta erat artis popinariae peritia, ut navarchus ipse vel unctas patinas avidissime liguriret. <···> Contemplabar equidem interea Urbem [Massiliam dicit] illam Phocensibus conditoribus claram, qui patria relicta, ut ne servirent, immensis erroribus acti, in eas rupes se receperunt, eamque condidere coloniam, quae per multa saecula maris huius interni tantum non tenuit imperium. Obversabantur animo cum Milonis exsilium, tum manes Lucii Caesaris Augusti filii. <···> Ea die feralis bubo in navis acrostilio, sive summa puppi, consedit; cumque illi nauta quidam manus iniecisset, se capi passus est. Oppallui ad conspectum avis tristissimae, auspiciumque aversatus, propriis manibus illam confodi, adiecta illa exsecrandi formula: TUO CAPITI. Neque enim nescis quam semper fuerit ex disciplina augurali haec avis, vere inebra, inter inauspicata et obscoena. XVI. Kal. Iunias in mari Ligustico diem contrivimus, iner|tissima tranquillitate detenti, velisque fluitantibus. Postera dies atra, et moerore plena. Incubuit enim vehementius Aquilo, quo acrius urgente, et in immensum tumente mari; foedissima tempestate correpti fuimus. Plena omnia tumultu et exsangui pavore. Velum decumanum medium discissum, utrimque linteis volitantibus. Circa solis autem occasum cum ventus posuisset, periculo quidem exempti sumus. Restabat tamen molestissima certaminis pars iactatio nempe a tumore fluctuum et inertia maris: quae nos perpetem illam noctem, et sequentem diem saevissime exercuit; ut nec stare, nec iacere daretur, prae maris iactatione. O bubonem, bubonem! Novi ego certe diritatem tuam, et malam scaevam. Sed litavi Tempestatibus tuo sanguine, quod unum erat in angore solatium. Ea nocte ante portum Genuensem stetimus, quem sequenti die ingressi sumus, saevissimo Euro impellente." litterae ad Philippum Buliphonem Genuae XIII Kal. Iun. a. 1717 datae in: Fco. Jorge Pérez Durá, *Epistolario Manuel Martí, deàn di Alicante, y Felipe Bolifón*, Alicante 1979, p. 177 - 179.

de vita Martini quaedam memoratu digna: "Ita quidem ipsa studiorum initia Martinus habuit felicissima, progressibus autem gavisus est non minus prosperrimis et mature ad perfectionem quandam emergentibus. Vidit juvenis acri iudicio praeditus, humaniores literas aeque poscere haud vulgarem Graecae linguae quam Lati|nae notitiam: eam itaque addiscendam sibi esse statuit, sed in ipso

haud secus solis splendore tenebrae eluuntur, quam Ioachimi Traggiae[439] meritis Hispano nomini dignitas redit. non patiar diutius

quidem conatu haud parum deterritus est, cum praeceptorem, quae Hispaniae est infelicitas, non inveniret, qui ejus praecepta ipsi traderet. Adjuvit tamen juvenem tanta alacritate ad pulchra quaeque currentem ingenii felicitas, quae remedium ei suppeditavit prorsus singulare. Nempe cum forte fortuna in ejus manus incidisset Hesiodus Latina versione instructus, Graecae linguae addiscendae desiderio inflammatus, propria, quae in utraque lingua iisdem pene literis eodemque sono exprimi solent nomina inter se conferre coepit, sicque attenta consideratione, dum singularum literarum potestatem proprietatemque expendit, alphabetum sibi construxit, et Graece legere didicit, nulla verae pronuntiationis habita ratione. Ita verum tantum abest, ut sitis animi optimarum disciplinarum desiderio ardens extingueretur, ut potius novas vires caperet." compendium *Vitae Emmanuelis Martini*, in: Jacobus Bruckerus, *Pinacotheca scriptorum nostra aetate illustrium* ..., Augustae Vindelicorum 1741, vol. 1 (decas 1), f. 9^{r-v} (et in ipsa *Vita*: "Animadvertit Martinus linguam Graecam omnis sapientiae thesaurum esse, et absque illa in studiis multum progredi velle, perinde esse, ac navigationem felicem velle conficere sine velis remisque. Verum ejus linguae cognitionem appetenti Magister deerat, qui doceret illam. Sed cum opportune Hesiodus quidam Graeco-Latinus illi obrigisset ex supellectili libraria affinis cujusdam, qui tum decesserat; hunc quasi e coelo missum arripuit, et incitatus studio Graecae linguae discendae, nomina propria, in quibus in utraque lingua vix ulla est literarum mutatio, conferre coepit, et facta quadam analysi, collegit notavitque singularum literarum figuram proprietatemque; et Alphabeto sibi confecto, didicit Graece legere nulla verae pronuntiationis habita ratione." *Emmanuelis Martini ecclesiae Alonensis decani Vita*, scriptore Gregorio Majansio ..., Amstelodami 1738, p. 5. liber q. i. *E. Martini, Ecclesiae Alonensis Decani, Vita,* scriptore Gr. Maiansio Valentino. ed. F. Gil, Valencia 1977, non erat ad manum). et: "Ita successus studiorum exoptatissimos largiente divina providentia, occasio illi enata est faventior ea indies augendi. Quam subministravit Tiberis alluvio, quae anno (I)I)(LXXXVIII. [i. e. 1688] agros vicosque Romanos inundaverat. Eam cum eleganti carmine imitans Statium Papinium, descripsisset, et hanc sylvam de Tiberis alluvione Romae eo anno edidisset, poema dono datum Josepho Saenzio Aguirrio cardinali prebytero [sic], viro longe doctissimo, magnoque literarum statori, recens in urbem advenae, Nostrum ei valde commendavit." de eodem Martino ib. f. 11^{r}: "Praecipue autem ex aureae aetatis scriptoribus Latinis eam sibi dicendi vim et majestatem comparavit, ut stilum sibi conficeret acutum, disertum, expeditum, fortem, incitatum, gravem, vehementem et gratissimae elegantiae plenum, quo ejus epistolae lectoribus vehementer commendantur." ib. f. 11^{r}. nimiae sunt laudes istae.

[439] Joaquín Traggia 1748 - post 1813.

turpi apud huius temporis eruditos situ magni viri nomen squalere. o ultimum Hispaniae decus! te dicente Hispani ad pristinam virtutem redire possunt si modo audiant te aliquando! te suadente, ego homo de ultima Scythia ad congrua litterarum studia incitatus, Ludovicum Vivem, Petrum Ioannem Nunnesium aliaque praeclara nomina admirari didici. laudibus quidem supra ornavi Paulinos et Facciolatos, sed quid, te, Ioachime, dicente, nunc pro causa eorum dicam? dicis enim: "Sed aliud est in mirabilibus rebus explicandis paulo altius assurgere, aliud in quolibet argumento coturnatum incedere. Non ita profecto Tullius, non Demosthenes facundissimi omnium temporum oratores, sublimem orationem assequendam putarunt, quorum in dissimili ratione par gloria satis indicat, nec ex verborum copia, nec ex parcitate grandem stilum fluere. Hic enim pressior, copiosior ille in eo sibi elaborandum censuerunt, ut communibus verbis, non vulgarem doctrinam, ac vim judicii ostenderent. Hinc miramur hos viros, et multos praeterea tantum nobis ex antiquitate placere, quum non omnes eamdem dicendi rationem, aut digerendi in ordinem verba tenuerint, sed suam quisque, suaeque naturae aptiorem; nunc vero quum minus differant latini recentiores Muretus, Manutius, Bembus, Paulinus, Facciolatus aliique innumeri, multo minorem capere nos ex illorum scriptis oblectationem. Non patiar cau|sam hic quemquam ad sermonis puritatem referre. Nam si vim latinae linguae callemus, latine loqui sine dubio possumus; at si vera ejus indoles cum imperio extincta est, atque ex animis deleta judicium de illa institui rite non licet. Ergo pendet ex rebus majestas dicendi, curandumque est magis quid, quam quomodo dicatur. Id ut assequamur multa requiruntur animi praesidia, quae jam nunc vobis patefaciam. Primum natura ad magna quaeque divinitus adjuncta, qua pauci homines carent," – utinam hoc verum esset! – "vellent modo illam sequi. Sed nescio qua fatali alios imitandi rabie ingenia corrumpimus, ac servili subsequendi duces consuetudine animos dejicimus. Legantur optimi scriptores, mandentur memoriae, ita tamen

ut liberos nos meminerimus."[440] taceo et admiror mentem tam altam.

M. – numquid illo vitio, quo Paulinus et Facciolatus tenentur, alii quam plurimi carent? quos quidem tu laudare soles. et nonne una multorum facies, praesertim eorum qui serviliter se ad Ciceronis dicendi normam accommodant?

S. – hoc quidem recte. profecto singulis aetatibus paucissimi extiterunt qui non tam dicendi copia ac facultate quam peculiari, ut ita dicam, orationis facie atque nativo quodam et nemini imitabili habitu excellerent. hic Paulinus cum ceteris quos supra extuli Italis cessat. ea laude insignis Erasmus fuit, et Petrarca in Italis; quem scriptores quidem latini inde a saec. XVI spernebant, magni vero viri Albertus Hallerus[441] atque Arturus Schopenhauer longe aliter sensere. ceterum cum sint omnes fere Itali natura loquaces, Petrarcam tamen tanti facio, ut unus mihi vitia eorum redimere possit.

M. – quid audio? quam multos tibi Italorum opponere possim, ut Angelus Politianus ...

S. – magni quidem iudicii homo fuit et in Miscellaneis admirandi acuminis; idem oratiunculas sane bellas scripsit et pueris erudiendis aptas. et versus eius rotundi sunt, quos quidem permultos fecit. sed in oratione numquam incalescit, nihil signatius dicit, et habet, ut omnes fere Itali, vagum nescio quid.

[440] *De stili magnificentia. Oratio VIII*: Joachimi Traggia *Orationes latinae*, Caesar-Augustae 1783, p. 123 sq.

[441] cfr. Halleri iudicium de Petrarca: "J'ai ses ouvrages écrits en latin, que personne ne lit plus à cause que sa latinité n'est pas belle, et on a tort." in: Jacques Casanova de Seingalt, *Histoire de ma vie*, Paris 1993, vol. 2, p. 387. Albrecht von Haller 1708 - 1777, vir magni ingenii, medicus, botanicus, poeta, orator. is dissertationem scripsit q. i. *Sermo academicus ostendens quantum antiqui eruditione et industria antecellant modernos*, Bernae 1734 (= Ludwig Hirzel, ed. Albrecht von Hallers *Gedichte*, Frauenfeld 1882, p. 381 - 390), quam magni facio; quod mirum non est, nam teste Bruckero dissertationes non sicut ceteri "effundere, sed cum cura elaborare" solebat (Jacobus Bruckerus, *Pinacotheca scriptorum nostra aetate illustrium* ..., Augustae Vindelicorum 1745, vol. 1 (decas 4), f. 27^{v}).

M. – ut senex delirat!

S. – quid dicis?

M. – nihil sane. perge porro.

S. – in iis qui peculiari orationis forma praecipuos habeam, dicendus mihi est Hieronymus Cardanus, igneus et virilis sed idem acerbus et paene insubidus, pressus ille quidem, sed ut fuit homo difficilis, ita oratio eius laetâ illa concinnitate caret. atque simile quid de Cornelio Agrippa ab Nettesheym et Iosepho Scaligero sentiendum, quos quidem amo plurimum sunt tamen oratione turbidi, licet diverso genere. sed nolo sermonem istum meum extendere, cum probe sciam haud pronis auribus talia accipi.

M. – nihil adhuc de Anglorum eloquentia egisti.

S. – difficile mihi negotium iniungis. ceterum aut ego ineptus aut mira Anglorum penuria narranda. adnotasse enim mihi videor eorum in vernaculis litteris cordatissimum quemque dum latine scribere conatur, scurrile[442] atque abstrusum affectare. quin etiam eruditissimis quoque viris subtilissimae eorum doctrinae ad bene scribendum non magno opere profuerunt, et non absurde dicitur Anglos mentem ita acuere, ut saepe perdant[443]. omnino omnes fere *acutarum,* ut verbis Alberti Halleri utar, *nugarum* fuerunt Angli captatores[444]. accedit quod Angli malorum saepe auctorum (Barclaium,

[442] cfr. Petrus Theodorus Le Cerf, *De Angliae regni genio, dotibus ac moribus,* Wittenbergae 1682, f. 8r.

[443] cfr. Ludovici Holbergii *Opusculorum latinorum pars altera,* Lipsiae 1737, p. 108.

[444] cfr. "De Owenio [John Owen ca. 1560 - 1622], Anglo Jacobi I. coaevo, pauca. Mirum quod non primus in amicitia regis grammatici fuerit, adeo ei adfinis fuit *Pedantismo,* captatione literarum, aequivocatione duorum unius vocis valorum, omnibusque acutis nugis quas ea aetas mirata et nostra detestatur. Vix certe in universo volumine unum epigramma legitimo acumine se commendat. Impar ergo et indignus socio Martiali." *Mss. Haller* 33, 147v (Burgerbibliothek Bern), in: Karl S. Guthke, *Haller und die Literatur,* Göttingen 1962, p. 164 = Hallers *Literaturkritik.* Hrsg. Karl S. Guthke, Tübingen 1970, p. 33.

Dan. Heinsium, Hugonem Grotium[445] dico) imitatione sinceram orationis gratiam atque splendorem longe fugere ultroque fugarunt. aliter res se initio saeculi XVI habuerunt. enimvero Thomae Mori ingenium come valde mihi arridet et epistulae eius Erasmianis non cedunt, neque tamen ideo minoris pretii aestimandae sunt epistulae Rogeri Aschami. sed haec, ut ab instituto nostro aliena, omittamus. Miltonii[446] saltem epistulae familiares proxime ad Thomae Mori comitatem accedunt[447] eoque nomine laudandae atque lectitandae. quas autem litteras provectiore aetate scripsit sublimes etiam sunt. ab earum lectione semper commotior surrexi atque – nisi me dulcis error ludit – melior[448]. Miltonius non semper eadem felicitate in

[445] hosce enim imitabantur, vide: Mordechai Feingold, *The Humanities*, in: *The History of the University of Oxford*. vol. 4: *Seventeenth-Century Oxford*. Ed. by Nicholas Tyacke, Oxford 1997, p. 249 sq. in bonis auctoribus, inter recentiores solus Famianus Strada (*Prolusiones academicae*) legebatur. vide Feingold, *ib.*

[446] John Milton 1608 - 1674. in forma nominis Miltonii vel Miltoni variant testes (cfr. e. g. Joannis Miltonii Angli *Epistolarum familiarium* etc. Londini 1674 sed: Ioannis Miltoni Angli *Pro Populo Anglicano Defensio, Contra Claudii Anonymi, alias Salmasii, Defensionem Regiam*, Londini, 1652).

[447] cfr. e. g. initio epistulae ad Carolum Diodatum (Sept. 2. 1637): "Jam istuc demum plane video te agere, ut obstinato silentio nos aliquando pervincas; quod si ita est, euge habe tibi istam gloriolam, en scribimus priores: [et deinde minus mihi placet et est duriusculus:] quanquam certe si unquam haec res in contentionem veniret, cur neuter alteri οὕτω διὰ χρόνου scripserit, cave putes quin sim ego multis partibus excusator futurus: δῆλον ὅτι ὡς βραδὺς καὶ ὀκνηρός τις ὢν φύσει πρὸς τὸ γράφειν, ut probe nosti, cum tu contra sive natura, sive consuetudine, ad huiusmodi Literarias προσφωνήσεις haud aegre perduci soleas." *The Works of John Milton*, New York 1936, vol. 12, p. 18.

[448] cfr. e. g.: "De Sallustio quod scribis, dicam libere, quoniam ita vis plane ut dicam quod sentio, Sallustium cuivis Latino Historico me quidem anteferre; quae etiam constans fere Antiquorum sententia fuit. Habet suas laudes tuus Tacitus; sed eas meo quidem judicio maximas, quod Sallustium nervis omnibus sit imitatus. <···> Ego vero sic existimo; qui gestas res dignas digne scripserit, eum animo non minus magno rerumque usu praeditum scribere oportere, quam is qui eas gesserit: ut vel maximas pari animo comprehendere atque metiri possit, et compehensas ser|mone puro atque casto distincte graviterque narrare: nam ut ornate, non admodum laboro; Historicum enim, non Oratorem requiro." (epist. Henrico de Brass Id. Quint. 1657) ib. p.

prosa oratione usus est. scripsit *Prolusiones* quasdam, ut ipse affirmat, puer; et credo. si vero in universum iudicare liceat (quod quidem non licet), non magnopere Angli de prosa latina oratione mereri mihi videntur. quid Oxonium dicam? quid Bodleianae bibliothecae thesauris indormientes scholasticos, bonarum litterarum atque politioris humanitatis expertes, aliorum commodis invidentes arguam?[449] non absurde Morhofius ambitionem Anglorum taxat[450] atque omnino de gente desperare iubet: "In Anglis ne unus quidem succurrit, qui purae Latinae dictionis genium expresserit. Infelices enim semper Angli fuere in eloquentia et natura sua feruntur in praecipitia, abditas

93 sqq. vel haec de caecitate sua: "Decennium, opinor, plus minus est, ex quo debilitari atque hebescere visum sensi, eodemque tempore lienem, visceraque omnia gravari, flatibusque vexari: mane quidem, siquid pro more legere coepissem, oculi statim penitus dolere, lectionemque refugere, post mediocrem deinde corporis exercitationem recreari; <·· | ··> Sed neque illud omiserim, dum adhuc visus aliquantum supererat, ut primum in lecto decubuissem, meque in alterutrum latus reclinassem, consuevisse copiosum lumen clausis oculis emicare; deinde, imminuto indies visu, colores perinde obscuriores cum impetu et fragore quodam intimo exilere; nunc autem, quasi extincto lucido, merus nigror <···>" (epist. ad Leonardum Philaram Atheniensem. Sept. 28. 1654) ib. p. 66 sqq. haec qualia sunt?!

[449] notum est illud de Gronovio, qui, ut homo peregrinus ("prorsus hic peregrini sunt, ut vocantur a vulgo, French dogs, id est gallici canes." loc. cit. infra), cum codices Bodleianae bibliothecae inspicere vellet, re infecta abire cogeretur; minus fortasse notum quid de moribus Oxoniensium senserit (ex epistula Johannis Frederici Gronovii ad Claudium Salmasium, data Oxonii (6.7.1639): "Mirum genus: ipsi thesaurorum suorum pretium ignorant, nec unquam quicquam, praeter scholasticas tricas, aut loquuntur aut somniant. Interim iis qui cupiunt uti, eas objiciunt moras ut melius sit non desiderasse quam indignitates habere. <·· | ··> Abivi ut iniquae sortis asellus et Scotistas, Thomistas praedicavi beatos qui quae nesciunt non dolent aut indignantur. O Gallia quando videbo te? Quando homines?" in: Paul Dibon et Françoise Waquet, *Johannes Fredericus Gronovius. Pèlerin de la république des lettres. Recherches sur le voyage savant au XVII siècle* (Hautes études médiévales et modernes, vol. 53), Genève 1984, p. 61 sq.

[450] Danielis Georgii Morhofii *Polyhistor litterarius philosophicus et practicus*, Lubecae 1747, t. 2, libr. 2, cap. 1, § 13, p. 136.

et argutas sententias, quae aures quidem titillant, animos non implent."[451]

M.- hoc ne dixeris. iidem Angli liberiora iudicia apud Hadrianum Baillet[452] experiuntur, cuius acumen magni facere soles.

S. - quid postea? dixi iam hoc meum iudicium non in universum valere. cum declamatorum vitia carpo, nihil praestantibus in philosophia, theologia, medicina, iuris scientia Anglis detraho. vel unus Henricus Morus[453], Anglorum ille Baelius (Pierre Bayle), me cum Anglis in gratiam reducere potest.

Georgius Herbert[454], Academiae Cantabrigensis orator, oratiunculas quasdam satis petulantes atque argutulas confecit[455] in quibus iudicium sanum frustra quis requirat[456]. Iosephus Addison[457] anglico sermone

[451] Dan. Georg. Morhofii, *De pura dictione latina liber.* Io. Laur. Moshemius *edidit et notas adiecit,* Hanoverae 1725, p. 41. cfr. "Linguarum cognitionem summe excolentes Angli, nescio ad Latinae perfectionem quid impediat, quo minus accedant gradu altiori." Jo. Justus von Einem, *Commentariolus historico-litterarius de fatis eruditionis apud potiores orbis gentes,* Magdeburgi 1735, p. 33.

[452] A. Baillet, *Jugemens des Savans sur les principaux ouvrages des auteurs,* Amsterdam 1725 (ed. anast. Hildesheim 1971), t. 1, p. 94 - 96.

[453] Henry More 1614 - 1687. *Opera omnia,* Londinii 1674 - 1679 (ed. anast. Hildesheim 1966).

[454] George Herbert 1593 - 1632.

[455] The *Works* of George Herbert. Ed. F. E. Hutchinson, Oxford 1945, p. 440 - 455.

[456] cfr. e. g. initio *Orationis Qua auspicatissimum Serenissimi Principis Caroli Reditum ex Hispanis celebravit Georgius Herbert Academiae Cantabrigensis orator* (1623): "Polycrates cum annulum sibi dilectum in mare dimisisset, eundemque retulisset captus piscis, foelicissimus mortalium habitus est. Quanto foeliciores nos omnes, Corona Musica, qui optimum Principem spe nuptiarum mari nuper tradentes, et ipsum accepimus salvum et annulum, annulum Coniugalem, nunc denuo nostrum, atque ubivis terrarum pro iudicio prudentissimi Regis, et in rebus humanis divinisque exercitatissimi, de integro dispondendum. Rediit! rediit Carolus, et cum eo vita nostra atque calor, longo animi deliquio fugitivus ac desertor. Quid iactas mihi aromata Orientis? Quid Theriacas peregrinas? asserunt Medici unamquamque regionem sua sibi sufficere, neque externis indigere auxiliis atque antidotis: certe nostrate Principe nusquam praesentius Balsamum, nusquam benignius, solvens obstupefactos artus, atque exhilarans, | tumentibus iam venis, arteriis micantibus, spiritibusque tabellariis laetum hunc nuntium ubique deferentibus, ut nullus sit angulus corporis, nulla venula, ubi non adsit Carolus." ib. p. 444 sq. reliqua vix saniora.

[457] John Addison 1672 - 1719.

fuit sollers atque facundus, sed idem oratiunculam latinam iuvenis puerilem confecit quae inscribitur "*Nova Philosophia Veteri praeferenda est*"[458]; paulo meliorem se oratorem praestitit in *Dissertatione de insignioribus romanorum poetis*[459] sermone conscripta presso atque dilucido[460]. sed ad grammaticos redeamus. Thomas Farnabius[461] vivide sane sed interdum, ut ita dicam, phrenetice loquitur, ut in praefatione Iuvenalis[462] sic statim ab initio lectores verborum automatis obstupefacit: "Quae pudibunda et subtimida primum in publicum processit Nympha, candoris vestri (Lectores humanissimi) sole irradiata, faventiae vestrae epithalamio animata, posito jam flammeo, meliore cum sui fiducia in vulgus rursus hac vice prodit <···> neque institutum hoc multoties repetitae editionis ruperunt malae aves, bubo rudens, grus *etc.*" enarrationes tamen eius in poetas latinos non inutiles esse cognovi. disertus orator est Henricus Savilius[463],

[458] cfr. e. g. initio: "Quousque Veterum vestigiis serviliter insistemus, Academici, nec ultra patres sapere audebimus? Quousque Antiquitatis ineptias, ut senum deliria nonnulli solent, religiose venerabimur? Pudeat sane, dum tam praeclarum aetatis hujusce specimen coram oculis praesens intuemur. ad Antiquos encomia nostra transferre, et inter priora saecula quos celebremus sedulo investigare. Satis superque Veteri Philosophiae concessum est, quod Stagyritae laudibus Theatrum toties sonuit Scheldonianum [habuit enim Addisonius orationem hanc in Theatro Scheldoniano, a. 1693] <···>. feliciori tandem ingenio succedit Cartesius, qui contra omnes omnium oppugnantium vires veritatem pertinaciter asseruit, et novum hoc introduxit philosophandi genus." *The miscellaneous works of* Joseph Addison, ed. A. C. Guthkelch, London 1914, vol. 2, p. 467, et sub finem: "Huc usque, Academici, nec ultra progreditur Antiquorum Philosophia, ineptam ideo hanc Commentatorum turbam Bibliothecis et catenis in aeternum damnemus alligandam, ubi vermium et tinearum fiant pabula, et ab omni Lectorum inspectu liberi placide exolescant." ib. p. 469.

[459] ib. p. 471 - 477.

[460] cfr. inde iudicium de Ovidio: "Ovidius (ut erat *Aulici* Ingenii Homo) terso quidem et polito Carmine res exhibuit amatorias, in caeteris tamen Operibus istiusmodi occurrit Sermo quali in Triviis uti solent: Ille enim Ingenio suo confisus de operosiori [sic] Dictione elaboranda parum erat satis sollicitus: In Libro tamen Metamorphoseωs [sic] varias optime depinxit Animalium Mutationes, dum prior paulatim exuitur Forma et nova superinducitur." ib. p. 472.

[461] Thomas Farnaby 1575? - 1647.

[462] vide e. g. ed. *D. Iunii Iuvenalis et Auli Persii Satyrae*, Amstelodami 1648.

[463] Henry Savile 1549 - 1622.

qui genus dicendi placidum et cum dignitate fluens coluit, est tamen ubi improbe dicax est[464]. Henrici Dodwelli[465] volumen amplissimum *Praelectionum academicarum,* quae magnam partem in scriptoribus

[464] cfr. e. g. de Elisabetha regina Anglorum: "Tuis consiliis Indiae, quanta terrae totius pars, quantula tuorum manus, quam incredibili celeritate victoriis peragratae! Tuis, tuis intellego (quid dicam) consiliis, | tabulis, armisque completa omnis haec Oceani ora, constrata cadaveribus littora: Tuis auspiciis Hispania Anglum non vidit nisi victorem, aut victoriae immortuum, Anglia Hispanum nisi captivum. Itaque stant tuorum objectu armorum, tuorum oppositu laterum quot sunt in Europa regna, principatus: ipsique adeo Pontifici, nominis tui infensissimo hosti, una cum caeteris, absque tuis armis, vel serviendum fuit, vel pereundum. Bonitatem, clementiam, justitiam, equitatem, ista pervulgata, ac prope decantata, in tanta principe referre, regiarum et heroicarum virtutum, quae in Majestate tua elucent, injuria fuerit. Ne id quidem attingam, quae mala, quam constanti animo pertuleris, quae tamen et gratiorem praesentis foelicitatis sensum attulerunt tibi, tuisque civibus certissimam salutem, principem habere, quae semper cogitet, crebrisque sermonibus usurpet, quid aut noluerit sub alio principe, aut voluerit. Illa commemorabo, quae vulgo minus nota, non minus mirabilia ad laudem. Te cum tot literis legendis, tot dictandis, tot manu tua scribendis sufficias: cum consiliariorum tuorum, in minimis etiam rebus, sententias dijudices: cum privatorum precibus, principum legationibus per te respondeas, de subditorum quoque privatis controversiis saepissime cognoscas: in ista tamen districtissima vita, non principum | (quorum aliae sunt nostris moribus artes) sed pene mortalium doctissimam evasisse. Te magnam diei partem in gravissimorum autorum scriptis legendis, audiendisque ponere. Neminem nisi sua lingua tecum loqui: te cum nemine nisi ipsorum, aut omnium communibus Latina, Graecaque. Omitto plebeios philosophos, quos raro in manus sumis: quoties divinum Platonem animadverti tuis interpretationibus diviniorem effectum! quoties Aristotelis obscuritates, principis philosophorum, a principe foeminarum evolutas, atque explicatas? Dicerem libere, nemini unquam ad sacratissimam Majestatem tuam aditum patuisse semidocto, qui non ex tuis sermonibus discesserit doctissimus, nisi meae vehementer me poeniteret tarditatis, qui in tam illustri schola tam parum profecerim." Henrici Savilii τοῦ μακαρίτου, *Oratio, Coram Elizabetha Oxonii habita* <···> Oxoniae 1658, p. 12 - 14.

[465] Henry Dodwell 1641 - 1711. de eo vide: M. L. Clarke, *Classical Studies*, in: *The History of the University of Oxford.* vol. 5: *The Eighteenth-Century Oxford.* Ed. by L. S. Sutherland and L. G. Mitchell, Oxford 1986, p. 514 sq.

Historiae Augustae versantur, oratorias virtutes nullas paene habet[466].

iam vero Bentleius[467] princeps grammaticorum audit. quid? Bentleio neminem nervosiorem fuisse, fateor. sed ille primum se exprimit, ut

[466] cfr. ex peroratione *Praelectionis Inauguralis* quae inscribitur "De Historiae Graecae Antiquitate" (descripsi servato litterarum ductu): "Me tamen *terret*, uti dixi, *verecundia* imbecillitatis meae conscia, ne *vestrae* possim *expectationi*, ne illustrissimi CAMDENI *votis*, pro dignitate respondere. Et viceversa *reficit* eadem me quae terruerat *verecundia*. Quid enim? Damnemne ego, quem vos idoneum censuistis? aut amovebo ab Officio, quem Vos admovistis officio? Non audeo, Academici, non facio. Cedo hic nimirum, do manus, victum me agnosco. Hoc tamen, quasi jure quodam meo, sperare posse videor; fore scilicet, ut victoria clementer utamini; et quod mihi onus supra vires imposuistis, illud faciatis, quam fieri potest, vestro candore atque aequanimitate, levissimum." [Henry Dodwell,] *Praelectiones academicae in schola historices Camdeniana*, Oxonii 1692, p. 31.

[467] Richard Bentley 1662 - 1742. cfr. "Sed quid ego de me, tamquam olim de vobis quempiam heredem *cathedrae* relicturo? Ipsa mater Academia jubet et instituit, ut jam nunc in ista sede vos singulos collocem. Videtis, ut prima specie adblandiatur? ut sessorem callide subdoleque invitet? mollicula pluma tumens, et opere textili superbiens. Ea vero, si expertis creditis, quovis scamno durior est ac molestior, quovis stadio et curriculo exercitatior. Atque hoc vos symbolo mater admonet, ne nunc, quasi studiis omnibus curisque defuncti, *cessatum* aliquo vel *sessitatum* abeatis; sed ut quam primum in hac sella paulisper consederitis, ad labores novos experiendos alacriores surgatis: atque eo quidem omine, ut tandem aliquando vel hanc ipsam, me decedente, cathedram occupetis; vel, quod lautius est et optabilius, decanalem aliquam aut episcopalem; vel, si ne hic quidem consistitis, archiepiscopalem denique, jam non cathedram sed thronum, ascendatis.
Numquid aliud est quod restat, an jam valere vobis dictura Academia? Immo vero, quo nulla non gratia suos filios demereatur, etiam *osculo* vos per me excipit; non suavio quod voluptatis est, sed osculo quod religionis; osculo caritatis, osculo sancto, osculo in Domino Jesu: quale prisco ecclesiae ritu, cum super Cenam Dominicam, tum die Paschatis festo, tum in ordinationibus sacris, pie olim et pudice dabatur ac reddebatur. Hoc vobis osculo bona mater *impetratae veniae* fidem facit, siquid olim in statuta sua juniores et rerum imperiti forte peccavistis. Hoc itidem osculum *benevolentiae* suae pignus, hoc et *cognationis* tesseram vobiscum auferetis; ut, ubicumque terrarum gentiumve fueritis, hanc matrem vestram semper caram, semper honoratam habeatis; et ab ipsa vicissim, quandocumque in rem vestram fuerit, consilium, auxilium jure vestro efflagitetis." *Richardi Bentleii, cum septem in theologia doctores crearet, Oratiuncula; Cantabrigiae in comitiis habita, Julii VI. MDCCXXV.* in: Richard Bentley, *The Works*. Edited by Alexander Dyce, London 1838 [ed. anast. Hildesheim - New York 1971], vol. 3, p. 545.

quasi vocem viri audire videaris, secundo tantum loco latinam linguam curat ideoque minus latine scribit; atque is omnino linguam latinam non magni fecisse videtur, cum in controversiis litterariis, quantum ex re visum vel potius nullo discrimine habito, in anglicam linguam libentissime transiliat.

Dawesius[468] acuti atque nobilis ingenii specimen dedit dum in praefatione Miscellaneorum ingenue fatetur se sibi quidem minime placere, atque dum suam *Paradisi amissi* graecam metaphrasim adnotationibus dilacerat, monstrat, si saepius a viris eruditis dissentiret eorumque errores coargueret, id non derogandi sed doctrinae provehendae studio fecisse. sed in hoc ipso tam nobili tamque humano argumento nimius est; improba enim est et absurda haec lectoris allocutio: "*At quo tuam hodie nescio quam, si diis placet, farraginem? Aliud scilicet dudum fecisti ut a te expectaremus.* Miltonii Graeca metaphrasis *coepit institui; cur* Miscellanea *tandem* Critica *exeunt? Profecto tibi non sat commode temporibus haec sunt divisa.* At noli quaeso, o bone, plus nimio saevire. Olim quidem, absoluta *Paradisi Amissi* libri primi versione, eruditorum genti rem haud ingratam praestaturus mihi videbar, si illud operis incepti specimen publici iuris[469] fecissem."[470] nolim tali modo lector tractari, neque placet mihi ista "o bone" allocutio. equidem cum haec lego, Farnabii *malas aves* atque ineptos *bubones*[471] cogito. id quoque errorem Dawesii aggravat, quod linguam latinam annotationibus tantum criticis aptam esse putat[472]. atque eiusdem sententiae Bentleius atque alii innumeri

468 Richard Dawes 1708 - 1766.

469 haec est locutio minus latina.

470 Ricardi Dawes *Miscellanea critica,* Lipsiae 1800, p. I.

471 v. supra p. 161.

472 "Expectabant fortasse nonnulli, ut Miscellaneorum Criticorum auctor ipsam Critices virtutem contra convitia a quibusdam hominibus iactari solita defensum eam. ii vero mihi ignoscant velim, si otium forte meum pluris aestimem, quam quod istiusmodi hominibus, praesertim cum *Latine* scribam, impendendum censeam. Immo pergant festiva capita, ingenii quo destituuntur ope niti; pergant quas beata stoliditatis, malignitatis, atque invidiae, coniuratio abunde suggerit ineptias apud imperitos suique adeo similes deblaterare." ib. p. VI.

erant. sic lingua latina perire coepit. aliter, bono litterarum fato, Ruhnkenius et Wyttenbachius sensere. sed de iis sermo inferius instituetur.

meliora de Porsono[473] sentio, magno in rebus criticis viro, in prosa oratione[474] apud eiusdem temporis Anglos vel maximo. scio aliter Anglis visum. illi enim Samuelis Parr[475] eloquentiam vehementer

[473] Richard Porson 1759 - 1808.

[474] est simplex et candidus. cfr. ex exordio *Praelectionis in Euripidem*: "Cum huius honoris sive officii ratio postulet, ut candidatus aliquid quod ad Graecum quendam scriptorem illustrandum pertineat, in his scholis publice praelegat, vos mihi hodie Euripidem, de quo verba facerem, dedistis. Uberrimam sane materiam, et omni vel optimorum ingeniorum studio ac contentione dignissimam! Sed quanto est dignior uberiorque materia, tanto impensius nobis verendum est, ne eam parum feliciter nec pro rei maiestate tractemus. Et cum soleam ipse, quo minus ingenio possum, eo maius diligentia subsidium mihi comparare, hoc mihi adiumentum angustiae temporis, quibus nunc necessario conclusus sum, denegarunt. Sed quod prima fronte per mihi incommodum accidisse visum erat, attentius rem inspicienti minus iam minusque sollicitudinis mihi afferebat. Quicunque enim Professori huius muneris candidatus prodire audet, is literarum simul humaniorum aliquem gustum, aliquam scientiam atque experientiam sibi arrogare videtur. Si igitur plus spatii ad cogitandum sumsissem, magnam fortasse adversariam contra me para|tam haberem expectationem; quam vincere aut aequare omnino desperassem; quam denique optimus esset effugere triumphus. Nunc autem, cum extemporali pene oratione mihi utendum sit, vos, Electores dignissimi, quae est vestra aequitas, haud sane expectabitis, ut materiae tali vel rebus a me satisfiat. Nihil igitur proferam, quod vobis, ne quod aequalibus quidem meis, novum, doctum, reconditum, exquisitum videri debeat: sin autem oratio mea vobis non omnino displicuerit, si tironibus forte circumstantibus tantillum arriserit, id equidem serio sum triumphaturus. Redeat ergo ad propositum suum disputatio nostra.

In Euripdem quisquis scripturus aut dicturus est, materiae tanta abundat copia, labori faber ut desit, non fabro labor. *etc.*" Ricardi Porsoni *Adversaria,* Lipsiae 1814 (ed. anast. Hildesheim - New York 1982), p. 3 sq.

Ex peroratione eiusdem orationis (usque ad finem): "Sentio me longius evectum esse, finemque orationi meae tandem ponendum. Haec fere erant, auditores doctissimi, quae de Euripide eiusque Hecuba dicenda habui. Quod in prooemio promisi, praestiti; nihil nempe me novi aut reconditi prolaturum: vestrum unicuique longe plura et meliora memoria sua subministrabit. Desinam igitur, venia vestra prius rogata, quos equidem vereor ne, quamdiu oratio mea duravit, tamdiu a studiis aut utilioribus aut iucundioribus detinuerim." ib. p. 28.

[475] Samuel Parr 1747 - 1825.

admirabantur[476], prava nimirum mente agitati ut crederent fortia esse quae temeraria, laeta quae ferocia, pressa quae morosa, composita quae incondite subsultantia, latina denique quae essent barbara. in hoc ultimo peccat, fateor, raro admodum[477] (probe enim litteratus homo fuit et Ciceronem atque Quintilianum[478] tamquam digitos suos norat); eo magis περιεργίᾳ peccat dum male sedulus omnia fere sermonis ornamenta aliunde petit: a doctrina quidem adiutus, a natura adeo destitutus ut ab inaffectata sponteque fluenti oratione quam longissime recederet. acriter, amare, argute dicere potest, graviter magnifice oratorie denique non potest. neque ingenium fervidum ingenuamque simplicitatem viro negaverim, cum ipsa affectatio eius quodam modo ferox atque virilis sit et longe a fracta fluxaque illa iesuitarum et quorundam Francogallorum affectatiuncula segreganda. quo magis dolendum, hominem litteris excultum atque honestum recto iudicio caruisse. sed haec omnia vitia impetu, quo plurimum valet, et nitori descriptionum sententiarumque vivido colori condono. equidem non tam acriter virum oppugnarem, nisi latinae

476 cfr. "the generation immediately succeeding the author's death, this preface [sc. Samuelis Parr *Praefatio ad Bellendeni libros*] used to be studied in Cambridge as an accepted model of modern Latin Prose." John Edwin Sandys, *A History of Classical Scholarship*, Cambridge 1908 (ed. anast. New York 1958), vol. 2, p. 422.

477 dicit enim "ut cum Persio loquar" (*Praefatio ad Bellendeni libros* in: The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 3, p. 133) pro "ut verbis Persii utar", qui error hodie quoque Anglis oberrat (cfr. ""Atque haec", ut cum nostro loquar, "ego sic accipi volo <···>"" *C. Plini Caecili Secundi Epistularum libri decem*. Rec. ... R. A. B. Mynors, Oxonii 1963, p. V). sed haec minutiora vix annotanda sunt, et ne clarissimi quidem auctores talibus mendis caruere (cfr. "ut cum Platone loquar" Baudii *Oratio in funere Maximi Virorum Iosephi Iusti Scaligeri*, in: Dominici Baudii *Epistolae <···> Orationes*, Amstelodami 1660, p. 672).

478 divina ei semel excidit vox: "Charles, I love Quintilian." (epistula ad Carolum Parr Burney (9.11.1804) in: The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 7, p. 421).

eloquentiae principem se superbe iactaret[479] atque haberetur[480]. nam quae in mediocri oratore etiam laudaveris, in magno interdum vitia censentur. et rursus: temerarius est? at magno spiritu peccat. in ornatu orationis nimius? at ingenti doctrina peccat. itaque sic Samuelem Parr reprehendo, tamquam magnum atque supra Farnabios Dawesiosque oratorem laudem[481]. neque tamen maximum.

[479] cfr. ipsius verba: "no man's horse <···> carries more Latin than mine." *Parriana* 1, 522 (in Sandys, op. cit., p. 422).

[480] Heynius (Christian Gottlob Heyne, de quo vide infra p. 196 sqq.), scriptor quidem saec. XVIII celeberrimus et interpres Vergilii ingeniosus saepe et felix, malus tamen ipse auctor latinitatis, Samuelis Parr *Praefationem ad Bellendeni libros* opus omnium quotquot post Ciceronem extarent praestantissimum iudicavit: "Heyne publicly declares the preface to Bellendenus to be the best Latinity which has appeared since Cicero." Charles Burney (Correspondance) in: The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 7, p. 410.

[481] cfr. "Habet Foxius hoc etiam vere admirabile: quod salubritatem dictionis Anglicanae et quasi sanitatem nunquam perdit, ut eos qui in calamistris adhibendis peregrinam quandam insolentiam consectantur, simplicitate prorsus inaffectata, et tanquam orationis sapore vernaculo obruat. Novit enim, qui non dicat, quod intelligamus, eundem minus posse, quod admiremur, dicere. Novit etiam, quae maximam utilitatem in se contineant, eadem in oratione habere plurimum vel dignitatis, vel saepe etiam venustatis.

Jam vero eloquentiae fulmina intelligit vibrari non posse, nisi numeris quibusdam contorqueantur. Hac de causa verborum perpetuitate, et conversione nonnunquam utitur, ut severos per illa ungues junctura effundat. Saepe orationem carpit membris minutioribus, quae tamen ipsa rhytmo quodam suo vinciuntur. Facile tamen in hac parte deprehendes negligentiam quandam haud ingratam, quae homi|nem magis de judicii certamine, quam de ullo aucupio delectationis laborantem indicet – πολὺς μὲν ὁ τόνος, αὐτάρκης δ' ἡ χάρις. Scilicet numeros illos minutos nunquam ita sequitur, ut sententias concidat delumbetque. Nunquam verba inferciens inania et canora, quasi rimas orationis explere studet. Otiosis ornamentis nunquam onerat delassatque aures, quarum est superbissimum judicium. Inde fit, ut neque diffluens sit aliquid et solutum, neque infractum, aut amputatum, aut hians. In conficiendo autem verborum orbe non aperte omnia, nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque concluduntur." *Praefatio ad Bellendeni libros* in: The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 3, p. 110 sq.

"Dixi eam Foxio ingenii facultatem, quae semper causis, in quas inciderit, parem se ostendat. Quoties autem illae sunt dignae in quibus latius se fundat, luminosas ad partes et quasi actuosas accedens, quicquid in dicendo potest,

Toupius[482] excellit sermone puro modiceque florido. miror eum omnem affectationis labem effugisse in quam plerique Anglorum

totum expromit. Quod quidem cum facit, veluti amnis monte decurrens saxa devolvit, et pontem indignatur, et ripas se coercentes undique diruit, copia atque impetu verborum. Hanc utique dicendi vim et celeritatem in Pericle olim mirabatur Eupolis: ad hanc obstupescunt auditores, qui Foxio acerbissime conviciantur.

Profecto indignissimam viri hujusce ad fortunam cum respicio, et praeteritorum recordatio est acerba, et quidem acerbior expectatio reliquorum. Maxime is tamen laudandus est, qui in hoc communi civium integerrimorum et prope fatali malo | consoletur se, cum conscientia mentis optimae, tum, sanioris illius, quod de se posteritas latura sit, judicii expectatione." p. 115 sq.

"At spectatum ea, quae in Senatu fiunt, admissus, nemo fibram tam corneam habet, ut risum tenere possit. Res quaedam agenda est de tribus Capellis. Comitum fit concursus, strepitusque, et clamor adolescentulorum. Tumultuantur, cachinantur, de loco depugnant. Haec dum fiunt homo quidam purpuratus Curiam ingreditur. Surgit continuo ὁ δεῖνα [de eo cfr. ib. p. 208 sq.], triumque Capellarum paululum immemor, multa de vi et caede, multa de Syllis et Mariis, multa de Cannis et perjuriis Punici furoris lingua personat audacissima et manu tota. Deos hominesque testatur bellum Americanum in causa fuisse, cur Titius istas tres Capellas a Caio furatus sit. Belli Americani contendit Northium exstitisse unum atque solum auctorem. Northium appellitat fatale quoddam portentum prodigiumque Reipublicae. Northium clamitat, illaqueatum esse omnium legum periculis, irretitum odio bonorum omnium, implicatum expectatione summi supplicii. Haec ille et | alia ejusdem farinae dum fundıtat verbis tristissimis et voce maxima, obduruisse videtur, et usu ipso percalluisse incredibilis quaedam Senatus patientia. Silent interea aut clanculum subrident Northii desertores et proditores salutis, illi ipsi, qui foedissime Bellum Americanum quondam cauponati sunt, qui faces ad bellum Americanum sua sponte praetulerunt foedas et luctuosas, qui toti et mente et animo instituerunt ad bellum Americanum." p. 144 sq.

"Imitatio veterum, qualis tandem esse debeat, non est nostrum dijudicare. Suus est cuique in hac re gustus [*gustus* hoc sensu latine non dicitur], suum etiam judicium. Verbis fere omnibus, modo perspicua et apta sint, in Latine scribendo locum esse crediderim. Neque enim solae phrases, aut ["Vide Scheller. Append." - adn. Samuelis Parr] sola vocabula, sed totius orationis habitus colorque potissimum spectandi sunt. Habeat igitur, per me licet, ipsa morositas aliquid tum excusationis, tum etiam laudis, in μελετήμασι concinnandis. Hujusmodi autem in opusculis, arbitror parum referre, utrum scriptores, e quibus verba petita sint, aurea, an argentea in aetate Linguae Latinae floruerint. Quicquid rei cuique, quae tractanda sit, maxime conveniens fuerit, id demum mihi videtur optimum." p. 206.

[482] Jonathan Toup 1713 - 1785.

proni ferebantur. sunt et alii bonae frugis auctores qui tamen contenti docere, totum istud delectare aspernabantur. et fateor mihi de multis Anglis non liquere, qui cum se ad rem criticam egregie exercendam contulissent, cetera prosae orationis genera adeo intemptata reliquerunt, ut ne iustas quidem operum suorum praefationes scribere, cum possent, dignarentur.

nunc de Novanglis sive Americanis paucis verbis. inepte loquax pessimique iudicii orator fuit Iohannes Leverett[483]. neque multo melior Urias Oakes[484]. utrique non eruditio defuit sed sensus communis. equidem facile crediderim eos cives bonos fuisse atque, si qua forte accidisset, anglica lingua etiam cum dignitate usos; latine autem cum loqui instituissent, persuasisse sibi videntur se tum maxime eloquenter atque magnifice locuturos si oratio eorum quam procul a sensu communi recederet. quid frigidos atque histrionales iocos? quid, quod redundantia ac nimia loquuntur, servili imitationi addictissimi? nimirum hoc est vere auditorum humanitate abuti.

[483] John Leverett 1662 - 1724. orationes eius leguntur in: Leo M. Kaiser, "The unpublished *oratio* of John Leverett, Harvard, 1689": *Humanistica Lovaniensia*, vol. 24 (1975), p. 327 - 345; id. "In Pursuit of Eloquence: Three Latin Oratorical Efforts of John Leverett": *Harvard Library Bulletin* vol. 26 (1978), p. 388 - 400; id. "A Latin *oratiuncula* of President John Leverett of Harvard, October 23, 1722": *Manuscripta* vol. 22 (1978), p. 109 - 112.

[484] Urian Oakes 1631/32 - 1681. orationes eius lucem viderunt in: Leo M. Kaiser, "Tercentenary of an Oration: The 1672 Commencement Address of Urian Oakes": *Harvard Library Bulletin* vol. 21 (1973), p. 75 - 87; id. "The unpublished *oratio secunda* of Urian Oakes, Harvard, 1675": *Humanistica Lovaniensia*, vol. 21 (1972), p. 385 - 412; id. ib. "The *oratio quinta* of Urian Oakes, Harvard, 1678" vol. 19 (1970), p. 485 - 508. parvi pendenda est praeterea Iohnsonii (homo qui a magno illo Iohnsonio longe segregandus est) oratiuncula, ante triginta annos in publicum data (*Oratio Comitialis. By Samuel Johnson, King's College* [hodie *Columbia University*]. Edited by Leo M. Kaiser: *The Classical Outlook*, vol. 46 (1969), p. 113 - 115). ceterum de scriptoribus novanglis et americanis consule opus perutile: Jozef IJsewijn, *Companion to Neo-Latin Studies. Part I*, Leuven 1990, p. 289 sqq.

M. – iudicium tuum neutiquam mihi placet. si Leverettus hodie viveret, certe inter optimos oratores haberetur.

S. – is quidem si cum plerisque eorum comparetur qui hodie latine scribere conantur, insignis etiam orator evadet. sed alia nos pertica decet uti. quid est oratio istius cum Cunaeo cum Baudio cum Paulino a S. Iosepho, cum Vavassore aliisque probatis comparata? faex nimirum et sentina. nam Lipsios atque Ruhnkenios taceo. non est quod me praefidentem hominem putes. etenim non me oratorem Leveretto praestantiorem vel iudicem privae cuiusdam sapientiae umquam putavi, cum omnino in hac mea disquisitione id semper agerem, non quid ego possem, qui nihil ferme possum, sed quid Cicero quid Quintilianus quid denique optimus quisque recentiorum de uno quoque scriptore sentiret, coniectura assequerer; tantum afui ut cuilibet de istis, qui hodie sunt, magistris umbraticis, qui ipsi plerumque ne mu quidem, crederem. sunt, fateor, et hodie praestantes doctrina viri, quorum nomina, ut est de iis qui vivunt iudicare invidiosum, sileo. et avet iamdudum animus iucundiora loca peragrare. nuper cum ex Quintiliano quaererem quid ille de quibusdam recentiorum sentiret, eadem fere quae antea dixi, verbis quidem multo speciosioribus, audivi. ceterum de Lipsio nobis cum Quintiliano numquam convenit.

M. – quid ille de Lipsio?

S. – idem fere quod de Seneca. laudabat tamen virtutem atque constantiam hominis, nescio an serio. sed longum est persequi singula, neque de eloquentia tantum sermo nobis fuit. manebo aliquantisper in Britannia. Samuel Johnson[485] magnus vir fuit, quem vehementer revereor. is quidem in idoneis latinitatis auctoribus censendus non est, neque ipse hanc sibi laudem voluit, quam si expetisset, assecutus esset. sed et hoc magnum est, eum extemporali latine loquendi

[485] 1709 - 1784.

facultate mirifice prae omnes Anglos valuisse[486]. litterae Iohnsonii latinae fortiter, apte et cum dignitate scriptae iuste laudari possunt[487]; quin etiam carminibus latinis delector: cernas ibi animum omnia magna cogitantem (quo magis miror Ioanni Miltonio in versibus latinis vim illam, qua in *Paradiso amisso* valet, defuisse[488]; sed Miltonii

[486] cfr. "He spoke Latin with wonderful fluency and elegance. When Pere Boscovich was in England, Johnson dined in company with him at Sir Joshua Reynold's, and at Dr. Douglas's, now Bishop of Salisbury. Upon both occasions that celebrated foreigner expressed his astonishment at Johnson's Latin conversation." James Boswell, *Life of Johnson,* Oxford 1952, p. 661.

[487] ceterum Iohnsonium non omnibus numeris absolutum grammaticum fuisse, iuste demonstrat Boswell, *op. cit.* p. 369 sqq.

[488] videtur Sobolevskius sententiae Samuelis Johnson (1709 - 1784) de versibus Miltonii accessisse, qui cum deliberaret utrum Miltonium an Abrahamum Cowley (Abraham Cowley 1618 - 1667) pluris faceret, ad hanc sententiam acquievit: "If the Latin performances of Cowley and Milton be compared (for May [Thomas May 1595 - 1650, poeta nobilis, qui *Supplementum Lucani* (*Lucani Supplementum* authore Thoma Maio, Amstelodami 1714) felici ausu condidit] I hold to be superior to both), the advantage seems to lie on the side of Cowley. Milton is generally content to express the thoughts of the ancients in their language; Cowley, without much loss of purity or elegance, accommodates the diction of Rome to his own conceptions." "Cowley" in: Samuel Johnson, *Lives of the English Poets*, London 1925, vol. 1, p. 7, cfr. ib. p. 56; 95. contrariam sententiam sequitur Thomas Macaulay, cui non assentior: "Cowley, with all his admirable wit and ingenuity, had little imagination <···> The authority of Johnson is against us on this point; but Johnson had studied the bad writers of the Middle Ages till he had become utterly insensible to the Augustan elegance, and was as ill qualified to judge between two Latin styles as an habitual drunkard to set up for a wine-taster. Versification in a dead language is an exotic, a far-fetched, costly, sickly imitation of that which elsewhere may be found in healthful and spontaneous perfection. The soils on which this rarity flourishes are in general as ill suited to the production of vigorous poetry as the flower-pots of a hothouse to the growth of oaks. <···> Indeed, in all the Latin poems of Milton the artificial manner indispensable to such works is admirably preserved, while, at the same time, his genius gives to them a peculiar charm, an air of nobleness and freedom, which distinguishes them from all other writings of the same class." *Miscellaneous Works* of Lord Macaulay. Edited by Trevelyan, New York s. a. vol. 1, p. 21.

iuvenilis aetas, qua carmina latina condebat, honesta excusatio est). at Ioannis Donne[489] poetae nobilis sinuosam mentem in prosa quoque oratione agnoscas, hyacinthinis illa nigrantibusque coloribus variegata hebenoque distincta; est profecto *Conclave Ignati* opus inter omnes Anglorum saec. XVII libros latinos longe praestans, licet hoc eloquentiae genus obscurum in universum minime mihi probetur. ille in versibus Anglica lingua concinnatis vere sublimis, in prosa vero oratione dum sublimia et verborum argutias captat Lipsiumque praepostere sectatur, plerumque durus atque praefractus fit[490].

in Scotis Bellendeni[491] libri *De tribus Luminibus Romanorum* imprimis mihi laudandi sunt[492], quos probabili opera ex Ciceronis operibus consarcinavit[493].

[489] John Donne 1572 - 1631.

[490] cfr.: "Animum autem eius [sc. Luciferi] perspexit, homo vafer, qui prope Cathedram stabat, Ignatius Loyola, ita Daemone imbutus, ut et ipsum tentasse potuit; nec id solum, sed et (quod vulgo dicitur) possidere. Hic de ingressu suo certus, consciusque multarum Myriadum e sua familia, ad hunc locum anhelantium, caeteris omnibus se opposuit. Damnari non vetuit, sed dominari eos noluit. Etsi autem cum e vivis excessit, erat omnium litterarum prorsus imperitus, ipsaque Ptolemaei et Copernici nomina ignoraret, utpote cui persuaderi potuit, vocabula Almagestum, Zenith, Nadir, Sanctorum nomina esse, et in Litaniam reponenda, et *Ora pro nobis*, iis adiiciendum, postquam tamen in infernis versari coepit, a Iesuitis suis quotidie accedentibus, aliquid didicit." John Donne, *Ignatius His Conclave*. An edition of the latin and english texts with introduction and commentary by T. S. Healy, S.J., Oxford 1969, p. 14.

[491] William Bellenden 1550 (1560) - 1633?

[492] de iis sic iudicat Samuel Parr: "Stylus est Bellendeni, per librum huncce, dilucidus in primis, neque exquisitus nimis. Sententiae hic illic occurrunt reconditae, quibus adhibita, tanquam obrussa, est ratio. Operis porro totius ita aptae inter se colligataeque partes, nihil ut sit asperum, vel hiulcum, vel dissolutum; nihil in alienum irruerit locum; nihil non positum sit suo." *Praefatio ad Bellendeni libros* in: The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 3, p. 95.

[493] suis etiam verbis praeclare et de divite fonte loquitur, ut isto loco: "<···> si verum quaerimus ineluctabilis fatorum vis, aut potius, ut pie loquar, divina providentia, statum Romanum cum mutare constituit, eius per Caesarem fundamenta labefactavit, nempe auctoritatem senatus et potentiam libertatemque populi: quae caeso Caesare, cum convalescere et senatui populoque restitui non potuissent, infecta

haud ignobilis auctor Ioannes Barclaius[494] habetur, quem vel propter ingentem *Argenidis* famam non facile quis praetereat. erat homini solutae orationis summa facilitas, ut in *Satyricis* suis satis luculenter ostendit; utinam modo plus genio linguae latinae quam suo fideret. scio usque ad finem XVIII saeculi multos fuisse Barclai admiratores – eos numquam bonos latinitatis auctores esse iam pridem statui atque adeo ut quisque optime de Barclaio sentiret ita esse pessimum. equidem fateor numquam eum me suis peregrinum semper quiddam sonantibus argutiis cepisse[495]. istum igitur auctorem tironum ex manibus excutiendum censeo (non minus quam rancidas Nicolai Chorerii, Francogalli – sive quis alius auctor est – elegantias[496]); quibus

urbe atque orbe partibus Caesarianis, Pompeianis, Antonianis et interfectorum Caesaris: omnia fuere in urbe, in castris et in provinciis confusa, corrupta, calamitosa, conversa in praecipitia. Hinc imbecillitas et desperatio cuius culpam Cicero agnovit resedisse in omnibus, praecipue senatoribus: quod permiserint violari existimationem auctoritatemque senatus, infringi leges, prorogari imperia: vires, arma, opes Reip. converti ad augendam potentiam eorum, qui ad principatum aspirarunt: quem sine maxima perturbatione rerum non poterant adipisci, nec sine Reip. interitu et servitute liberi populi tenere. Caeterum e re fuit Romana in tantis dissidiis ordinum, civium aerumnis, insolentia militum, constitui dominatum unius." Guilielmi Bellendeni ... *De tribus luminibus Romanorum libri sex-decim*, Parisiis 1634, p. 824.

494 John Barclay 1582 - 1621.

495 Barclai sectatores irridet Facciolatus: "Audivi ego, audivi nobilissimum Adolescentem, qui cum multa ex Barclaio recitasset pluribus ante annis memoriae tradita, et in sui perniciem arctissime custodita, quaerenti mihi, utrum aliquid ex Cicerone didicisset, subiratus respondit, aridam illam Ciceronis latinitatem obsolevisse." Iacobi Facciolati *Oratio ad Humanitatem*, Lipsiae 1716, p. 16. damnat "sententiosum illud, acutum, vibratum, ne dicam, tumidum, adfectatum et ampullosum" Michael Denis, homo recti iudicii, qui et ipse puer Barclaio delectabatur (Michael's Denis *Literarischer Nachlass. Herausgegeben von* J. F. von Retzer, Erste Abtheilung, Wien 1801, p. 16).

496 Nicolas Chorier [1609 - 1692], *Aloisiae Sigeae Toletanae Satyra sotadica de arcanis Amoris et Veneris, sive Ioannis Meursii Elegantiae Latini sermonis*, a cura di Bruno Lavagnini, Catania 1935. hodie quoque operis huius innumerae saec. XVII et XVIII exemplaria bibliothecas publicas onerant. maiore fortasse pretio aestimandus est liber q. i.: Nicolai Chorerii Vienensis *Adversariorum de vita et rebus suis libri tres* in: Bulletin de la Société de Statistique de l'Isère 1864, vol. 4 (non vidi).

autem firmatum iudicium est, nocere quidem non potest et legendus propter rerum copiam et animi avocandi causa.

Danorum ingenia non praetermittenda puto, in quibus imprimis eloquentes mihi Olaus Borrichius[497] et Paulus Vindingius[498] videntur[499]. sed maxima admiratio propter multiplicem scientiam Olao Borrichio debetur, magni animi viro, qui cum alia multa in litteras merita contulit tum et thesaurum linguae latinae conficiendum aureo libello *De Lexicis Latinis, et Graecis* suadebat gravissime atque eloquentissime[500]. is masculum orationis tenorem sustinuit, et accepimus Borrichium in orationibus publice habitis incorruptae latinitatis constantem vindicem fuisse[501].

497 Ole Borch 1626 - 1690.

498 Paul Vinding 1658 - 1712.

499 Danorum in ligata oratione ingenia propter "latinae linguae elegantias" laudat Bernhardus Raupachius, *De praesenti rei sacrae et litterariae in Dania statu*, Hamburgi 1717, p. 21 sq. idem inter veteres oratores Bangium, Ostenfeldium, Bartholinum, Beringium, Borrichium, Wormium, Vindingium laudat atque asseverat saeculo quoque XVIII ineunte praeclara oratorum ingenia florere. cfr. praeterea: Iohannes Carolus Fridericus Gesner, *De praesenti statu rei litterariae in Dania brevis et succincta narratio*, Hafniae 1761.

500 cfr. "Profecto, cum tot hodie illustria numerentur Lycea, cum tot ubique vivant eruditi, indignum paene esset, si detrectarent, commendatione omni, et praeconio dignissimum, si hac | quoque parte publico, et bonis literis prodesse instituerent, atque id agere, ut accuratum tandem, et quod omne punctum ferret, Lexicon Latinum ederetur; id quod unius lustri cura effectum daret, si Academiae aliquot symbolas conferrent (quo illa Cunaei et Pasoris vota tendunt) partitaque inter se opera, hic hunc, ille illum, alius alium Auctorem provide excuterent, nihil intactum relinquentes; praesertim si electo studiosorum in his sacris provectiorum numero provincia prius commendaretur, locupletissimos in omnes Auctores Latinos concinnandi indices, ex quibus postea attente collatis, sollicite digestis, ad justam incudem exploratis exquisitissimum, et fructuosissimum opus exsurgeret, omnium, quicquid ubique est, eruditorum sapientum votis vel expetitum, vel expetendum, perpetuus in omnes Auctores commentarius, barbariei everriculum, certum in dubiis vocibus, incertis praeteritis, ignotis generibus, suspectis phrasibus asylum, tuta quantitatum cynosura, Grammaticorum velut Jupiter Stator." Olai Borrichii *Analecta Ad Cogitationes De Lingua Latina. Accedit Appendix De Lexicis Latinis, et Graecis, cum Indice addendorum ad Fori Romani literam C.*, Hafniae 1682, p. 47 sq.

501 cfr. Pauli Vindingii orationem funebrem in excessum Borrichii in: *Olai Borrichii Dissertationes, seu orationes academicae*, Hauniae 1715, t. 2, p. 27.

Ludovicus Holbergus[502] ingeniosus homo fuit, quem honoris causa – atque bibulis quidem ut apud te, qui vernaculas litteras constanter latinis praeferre soleas, auribus – hic nomino. sed ille ut aliquid ad latinam eloquentiam in qua genus sermonis lucidum et alacre coluit, ita nihil ferme ad grammaticae studia contulit. quare iniudicatum eum mittamus. neque ultima orbis Islandia omni laude caruit quae Brynolfum Svenonium[503] habet auctorem nivibus suis nulla in re nisi in versicolore eloquii splendore similem; is quoque nihil ad grammaticam.

Germanorum gloriam recensens varie afficior: quae gens miserior, quae fortior? misera felix abiecta magnifica, ut quae in pessimis exemplis pessime de genere humano merita, in optimis vero maxime salutifera videatur. atque imprimis fatendum est minime Germanis ipsis in iudiciis de popularibus suis credendum. hodie quoque nesciunt plerumque thesauros suos spernuntque. etenim inveteratum est genti isti, cum omni aevo praeclaros viros Germania tulerit, iustae gloriae invidere et inique de optimo quoque suorum iudicare.

neque prorsus absurde illud Iosephi Scaligeri: Germanos non magis intellegere latine an secus loquantur, modo latina utcumque lingua utantur, quam bonum vinum a vappa dignoscere, sit modo vinum[504]. quos enim nobis professor quondam celeberrimus Langius[505], optimos ad disserendi artem atque sermonem perpoliendum auctores commendat? "Cartesium," – hoc sane ferendum. sed quos praeterea?: – "Pufendorfium," – phy! Pufendorfium uno spiritu cum Cartesio

[502] Ludwig Holberg 1684 - 1754.

[503] Brynjólfur Sveinsson 1605 - 1675. ceteros invenias in magnae doctrinae volumine quod inscribitur: *A History of Nordic Neo-Latin Literature*. Edited by Minna Skafte Jensen, Odense University Press 1995.

[504] "Les Allemans ne se soucient pas quel vin ils boivent, pourveu que ce soit vin, ni quel Latin ils parlent, pourveu que ce soit Latin." *Scaligerana I* (s. v. *Allemans*). cfr. "Pauci Latine ac Romane loquuntur, multi Grammatice ut Germani plurimi." *Scaligerana*, Cologne 1695, p. 230.

[505] Karl Heinrich Lange 1703 - 1753.

proferre![506] – "Slevogtium," – cur non statim et Schurzfleischium? – "Clericum," – sit sane. quamquam quid in sermone Clerici praeter perspicuitatem magnopere laudem, non video – "Buddeum," – hilarescere te video, mi Michael? frustra. Buddeum[507], non magnum Guilelmum Budaeum[508] commendat. quamquam recte mihi etiam de Budaeo Erasmus iudicasse videtur, "Budaeum tuba cantare, ubi ceteri tibiis", cum aliud diceret (nam primo aspectu perquam honorifice hominem extollere videtur) aliud intellegi vellet (innuens scilicet Budaeum intemperanter in latinum sermonem grassari atque recto loquendi modo uti nescire). sed quorsum alio nolens abreptus feror? ad Langium redeamus: – "Syrbium, Gundlingium, Heineccium, Reuschium,"[509] – hi enim elegantiarum – "omne punctum ferent"[510]. en praeclara nomina! o di boni! atqui omnes fere hosce heroas domi in bibliotheca mea habebam, et quidem magno cum rei familiaris dispendio undecumque coemptos. melius non habuissem (Clericum et Heineccium tamen excipio. atque hunc quidem non propter sermonis elegantiam, quae homini nulla erat, sed propter rerum copiam non vulgarem). quid expectas? verbum de praeclaris istis auctoribus amplius non addam.

[506] at Pufendorfius (Samuel Pufendorf 1631 - 1694), pace Sobolevskii, tam abiectus auctor mihi non videtur; quin etiam facultate latine scribendi Cartesio longe praestat. sic enim, non sine stili condimentis, morum gravitatem commendat: "Contemplanti mihi generis humani conditionem id cumprimis commiseratione dignum videtur, quod praeter mala, et incommoda, quae fragilitatem nostrae naturae consequuntur, homines sibi per vecordiam, pravasque libidines ultro infinitam calamitatum segetem arcessant, queis commode carere poterant, si sanam rationem sequi placeret. Quam multi enim integra valetudine ad senectutem pervenire possent, ni per intemperantiam nativas vires frangerent, ac morborum agmina, praematurumque senium, et ante diem mortes provocarent? *etc.*" Samuelis Lib.<eri> Bar.<onis> de Pufendorf *Jus feciale divinum sive de consensu et dissensu Protestantium exercitatio posthuma*, Lubecae 1695, p. 9.

[507] Ioannes Franciscus Buddaeus (sic) 1667 - 1729.

[508] Guillaume Budé 1468 - 1540.

[509] M. Car. Henr. Langii, *Institutiones stili romani secundum disciplinam veterum praeceptis et exemplis adornatae*, Lubecae [1]1735, p. 385.

[510] ib.

Ioannes Henricus Boeclerus[511], si cum ceteris sui saeculi Germanis comparetur, elegans etiam scriptor videri possit. si autem propius scriptorem consideres, omni gratia et concinnitate in orationis habitu caret[512]. sed cui Germanorum umquam – excipio Ruhnkenium – orationis gratia? iustam notam Boeclerus ab Ioanne Matthia Gesnero tulit: "Affectat vero abstrusum quiddam. Quo in genere regnat Iac. Gronovius, qui ne legendus." – et hoc recte de Gronovio[513] cuius censuram consulto huc distuli et iam absolvi. et postea: – "Panegyricus

[511] Iohann Heinrich Böckler 1611 (1610) - 1692.

[512] cfr. e. g.: "Crebra subiit animum meum reputatio fati publici cujus non minima pars ad rem scholasticam scilicet ac litterariam pertinet. Ea enim est, quae sacris profanisque rebus non ornamentum modo ac decus, sed robur et vigorem ipsum largiri consuevit: ejusque florem, genitum prosperis, Deus gratificari; inclinationem, terrarum devastationi semper visus est praemittere. Inclinatio autem illa, proxima plerumque fastigio est: fastigium ipsum, plerumque inclinationis caussis obnoxium. sicut cum magna imperia, quae non habent quo crescant amplius, caussas sibi interim illa ipsa magnitudine sua elaborant, quibus decrescant. Quod ubi coepit fieri, observatione prudentium et cura opus est: qua licet interverti non semper possit praecepta indiciis fortuna, mitigari tamen hactenus potest ne incautos et incogitantes adeoque fortius percellat." *De fatis litterariis nostri temporis* in: Joannis Henrici Boecleri *Dissertationum academicarum tomus posterior*, Argentorati 1710, p. 1234. cfr. tamen insignem ad res cognoscendas locum: "Eamus per praecipuas ejus [sc. orbis Europaei] provincias. Hispania haud dubie satis litterata est: Gallia superioris saeculi memoriam doctis viris illustravit, nec adhuc suae laudi impar amat censeri. Eadem Italiae conditio; quae et ipsa non quidem vetustissimam, sed veterem quam instauratis litteris meruit gloriam nondum plane dememinit. Anglia et Hibernia supra pristinam sortem longeque caput extulere. Dania et Suedia, numquam litteris cultiores fuere: nec fortasse Polonia. Belgium ad invidiam usque floret studiorum varietate et nobilitate. Et quid Germaniam nostram omitto? quam licet omni saevitia Martis furor attaminaverit, convulserit, imminuerit, nondum tamen penitus *ruit alto a culmine Troja*: sed perstat adhuc quoddam doctrinae fastigium sive ἀκρωτήριον, quod partibus circumcirca incendio ambesis aut corruptis, veluti miraculo servatum, ostentui jussit esse gentibus Deus immortalis, ut diligenter ac cum mora pristini fati exemplum pariter et orbem, ferme impletum contemplarentur atque observarent." ib. p. 1235.

[513] Jakob Gronov 1645 - 1716.

in Wilhelmum, magnae Britanniae regem, insania est et puerilitas."[514]

facetias affectavit Omeisius[515], nec infeliciter. in summa affectatiuncula scribit tamen perspicue et animos legentium tenet. equidem libenter hausi prolusionem *De Castello Ineptae Eloquentiae,* dignum opus quod denuo typis mandetur: improba, fateor, est oratio ista; sed urget, sed puellariter blanditur, verborum lenocinio se insinuat, admirationem denique vel apud invitos et superciliosos extorquet[516]. imitatus est autem Omeisius auctores partim malos ut Barlaeum et Puteanum, partim bonos ut Octavium Ferrarium et Avancinum.

[514] Gesnerus in: Io. Gottl. Heineccii *Fundamenta stili cultioris omnibus* Io. Matthiae Gesneri *animadversionibus, emendationibus, additamentis et praefatione locupletata accuravit, digessit, suasque observationes hac editione auctas adiecit* Io. Nicolaus Niclas, Lipsiae 1766, p. 352.

[515] Magnus Daniel Omeis 1646 - 1708.

[516] sic probati oratores duce Caesare castellum ineptae eloquentiae expugnatum devastant: "Mox Caesar, signo dato, ut intercepti puberes omnes necarentur jussit; quod imperium quidem crudele, caeterum prope necessarium cognitum in ipso eventu est. Cui enim parci potuit ex iis, e quorum sanguine, quasi ex vipereis draconis dentibus Cadmea barbariei proles denuo fuisset oritura? Per continuas igitur strages et lanienas, ceu in perditissimos eunuchos ac scelestos Romanae civitatis proditores saevitum est. Etenim vero in ipso castello praeter maximam argenti vim, multos etiam asinos auro onustos, nullius ingenii, nullius artificii specimen inventum. Nihil Apellis, nihil | Parrhasii aut Praxitelis; cuncta rudia, agrestia, molas quam Molonem spirantia. Unam et item alteram Midae Marsyaeque statuam repererunt. Cistae chartis lusoriis aleisque et stultis orationibus erant refertae ac epistolis obscurorum virorum. Inde tripudia, inde risus, inde joci et admiratio occupantium haec idola insaniae. Jamque victores omnes gaudium gaudebant genuinum et intimum, atque in ipso penetrali cordis et animae vigens; unica frustratio iniquioris fortunae plausum turbavit. Nam *Inepta Eloquentia,* Sileni uxor, asinorum domina, multis licet anxie quaerentibus, deprehendi non poterat. Per furnum creditur venefica in auras equitasse in caballo Medeae scopis egregie exornato. Quid multis? Abiit, excessit, evasit, erupit; nusquam est et ubique habitat. Recepta est, ut audio, tam sacrorum quorundam quam profanorum declamatorum pectoribus, inque omni plebe tutum invenit | diversorium." *Prolusio II. De Castello Ineptae Eloquentiae ab Oratoribus et Historicis veteribus ac novis expugnato,* in: Magni Danielis Omesii *Prolusiones Academicae,* Altdorfii Noricorum, 1677, p. 66 - 68.

Omeisio Praschium[517] subtexam, scriptorem quidem ingeniosum, Apuleio tamen quem in fabula de *Psyche Cretica* sectatus multo frigidiorem, cum improbae illae et felices lepidissimi fabulonis blanditiae minime ei succederent. locutiones fere omnes habet emendatas et latinas (haec quidem laus non est minima), sed scriptionem latinam quae mollis cedensque stilum sequatur frustra apud eum quaeras. omnino splendet ubique narratio Praschii arcessitis tantum coloribus: vivos faciles argutos numquam spirat[518].

[517] Johann Ludwig Prasch 1637 - 1690. vide Jozef IJsewijn, *Companion to Neo-Latin Studies*, Leuven 1990 - 1998, 2 voll.; vol. 1, p. 189; vol. 2, 255 - 257; 499.

[518] ut pauca proferam: "Ubi igitur sensa sua fere omnia in medium proposuit, repente Cosmus irruit cum exserto pugione, ferens vulnera ac mortes [quorsum tam poetice loqueris, Praschi? nisi quod symbolice loquenti (per Cosmum enim mundi huius malitiam intellegere debemus) sublimia conveniunt. etiam. sed alte petita atque nimia non item]. Omnia quippe, secreto inter nos colloquio acta, sacrilegis auribus exceperat. Etenim spelunca utraque nostrum pariter ignorante mirabili Oreadum ingenio sic erat structa, ut per foramen tubae simile | cunctae assidentium voces effluerent, atque ad aures quam libet procul stantium cum horrore mearent. Ac primam [primum?] anum adortus specu sauciam exturbavit, tum eodem ferro praesens exitium indixit mihi, ni foedis eius desideriis actutum me dedissem. Mortem igitur oravi serio et expectavi, id est, peius quiddam morte pro pudicitia subire volui [nolui? *volui* utique dat Marie-José Desmet-Goethals in: *Humanistica Lovaniensia* 17, 1968, p. 132. ceteras editiones non vidi]." lib. 1, cap. 36 Ehlers (= Io. Ludovici Praschii *Psyche Cretica*, Ratisponae 1685, p. 44 sq.). aut initio fabulae: "Quo tempore Graecia, a barbaris incolumis et Romani quoque expers iugi, virtutum artiumque exemplis felicissime florebat, princeps quidam Atheniensium, Theophrastus nomine, vix orta luce exiit [presse hoc quidem et paucis multa]. Praecesserant catuli, Sparta nuper atque Creta missi, et impositae famulorum cervicibus Cumaeae plagae. Ipse volucri subsequens equo crispat manu venabulum interque comites maiestate non minus oris, quam corporis mole eminet et quam|vis senio provectior, gaudet nemorum viriditati robustam inferre canitiem. Quo magis fidem inveniebat, quod a Nestore genus ducere maternum ferebatur." lib. 1, cap. 1 Ehlers (= op. cit., p. 3 sq.). Volfgango Ehlers magnam habeo gratiam, qui suam Praschii editionem (Ioannes Ludovicus Praschius. *Psyche Cretica.* Herausgegeben und mit einem Nachwort versehen von Widu-Wolfgang Ehlers, Berlin 1999. huius editionis tria tantum exemplaria extant) dono mihi dedit.

M. – tu Praschium iudicas tamquam Quintiliani aut Apulei aequalem. alia certe latinitatis ratio fuit aetate artium barocarum.

S. – equidem aetatis rationem non sum oblitus. sed hanc causam non audio. saeculo XVII multi scriptores mirifici (francogallice *baroque* dicimus) esse voluerunt. quid tum? si quis mihi mirificus esse velit, esto; sit modo magnificus, si potest; si minus, talis auctor quomodo magnus censeri possit, non video. scis me non mediocriter in scriptoribus saec. XVII versatum: nusquam adhuc mirificam quandam latinitatem ("*Barocklatein*") vidi, quam hodie quidam sibi somniarunt. vidi tantum malos et bonos latinitatis auctores mediamque turbam. alia profecto ratio linguae theodiscae. nam qui saec. XVII theodisce scribebant, omnes fere eo, ut ita dicam, mirificentiae vitio laborabant; et aliter fieri certe non potuit, cum sermone uterentur patrio quem temporibus accommodari necesse erat. sed latinae linguae, quae rebus mortalibus minus subiecta est, ea est praestantia, ut omni saeculo boni auctores extare possint qui temporibus non inserviant. quid? nonne in media romanticismi peste Eichstadius[519] latine, non plorabile atque languidule ("*romantisch*") scribebat? et sic omni aevo. quid Petrarcae cum barbaris? quid Huetio cum eis qui curiose (*précieux*) potius quam latine loquebantur? quid Gesnero[520] cum galantismo[521]? mali vero latinitatis auctores semper temporum suorum vitia imitantur.

sentio aliquid mihi vel nolenti de Caspare Scioppio[522] dicendum fuisse. contentiosi homo ingenii fuit et uberrimae, licet indigestae, copiae; sed iusta ei vox quondam excidit: "sum quidem omnium maxume ἄμουσος"[523].

[519] Heinrich-Karl Abraham Eichstädt 1772 - 1848.

[520] de eo infra p. 192 sq.

[521] absonum istud galantismi vocabulum peto ex: *Epistola philologica de paedantismo et galantismo latinae linguae qua viro clarissimo et doctissimo M. Laurentio Müllero* <···> *gratulatur* Charisius ab Amicis, Cosmopoli 1715; Theoph. Chr. Harles "*De galantismo aesthetico et philologico*" in: *Opuscula varii argumenti*, Halae 1773, p. 68 - 96 (vide infra p. 230).

[522] Caspar Schoppe 1576 - 1649.

[523] I. B. Donii *Commercium litterarium, ed. studio et labore* Ant. Francisci Gorii, Florentiae 1744, col. 206.

sed ecce novum laboriosae barbariei portentum cerno. tantum non omnes Germani usque ad saec. XVIII medians laudibus ferunt Schurzfleischium[524], oratorem, mea quidem sententia, *Vertumnis quotquot sunt natum iniquis.* qui quidem Thomasio superior est, Cellario vero multo inferior, cui fortasse propter ipsam studiorum similitudinem iniquior fuit[525]. in Schurzfleischio laudando ineptus sane mihi Walchius, vir alioqui de litteris bene meritus, videtur, cum eum hunc ad modum extollit: "summus meliorum litterarum vindex, singulare Germaniae nostrae decus ac latinissimus auctor, cuius oratio casta est, elegans atque eximia maiestate et vigore se tuetur, hisce virtutibus ad laudem Ciceronis et Livii accedit."[526] et Langius noster, lepidum caput, quem supra memoravi, Schurzfleischium laudibus extollit[527]. sed, malo litterarum multum ille iactatus est, atque si Melancthon ...

M. – abi. mordicus hominem tenes.

S. – ... si Melancthon Germanos latine loqui primus instituisse dicitur, Schurzfleischius primus populares suos oratores strepitare atque cornicari docuisse iure censebitur. quae cum ita sint, iam magnus mihi vir Melancthon cum Schurzfleischio comparatus videri incipit.

[524] Conrad Samuel Schur(t)zfleisch 1641 - 1708.

[525] cfr. "Cellarii in Geographia vetere aliquid conatus est, vir scribendo assiduus, ac valde laboriosus. Notae [ineptum hoc sensu vocabulum et soloecum pro *enarrationibus, adnotationibus.* cfr. Lagomarsini S.J. *Orationes,* Augustae Vindelicorum 1763, p. 36 – O.N.] eius pro tyronibus scriptae sunt, et explicationem iuvant, in variis lectionibus nihil aut parum praestant, propterea quod notas ex libris, non ex codicibus refingit." Conradi Samuelis Schurzfleischii *Epistolarum arcanarum* ... Halae Magdeburgicae 1712, t. 2, p. 498; cfr. Guil. Frider. Kreidenmann, *De singulari latinitatis apud Germanos pretio,* Ienae 1755, p. 11.

[526] Jo. Georgii Walchii *Historia critica linguae latinae,* editio tertia iterum multis accessionibus aucta, Lipsiae 1761, p. 675.

[527] M. Car. Henr. Langii, *Institutiones stili romani,* Lubecae 1735, p. 238.

M. – laudo tamen industriam hominis, qui permultos libros historicos atque antiquarios conscripsit,

S. – neque sane iudicium ei defuit quatenus aliorum negotia curat[528] et eloquentiae praecepta edicit[529]. nempe idem ei fere accidit, quod iesuitis, qui praeceptis quidem valent, in actione vero haud raro insulsi fiunt.

M. – at laudanda saltem industria viri qui tam multa scripserit[530].

S. – at improbanda impudentia hominis, sese omnium bonarum litterarum iudicem vindicemque iactitantis, quem tamen, perspectis ponderatisque ingenii dotibus, non litteratum sed litteratorem profiteri oportuit. nam orationes Schurzfleischii pingue semper quiddam et barbarum sonant. videlicet in argumentis eligendis mira felicitas hominis, ut: "*Ut Cives Academici decenti reverentia prosequantur Principem Electorem praesentem*"[531], "*Ut modeste se gerant Cives*"[532] – frigida sunt ista; haec vero inepta tractatione etiam ridicula: "*De non iactandis ignibus ludicris*"[533]; "*Contra grassatores nocturnos*"[534].

[528] sed hoc de Sammarthani *Elogiis* iudicium sine risu legi non potest: "Scaevolae Sammarthani *Elogia* inter cetera huius argumenti scripta, eruditionis copia et elegantia praestant." *Schurzfleischiana*, specimen III, ed. Irenaeus Sincerus, Vittembergae 1729, p. 58, illud vero gravius, cum dicit Melancthonem dictione "ad interpretandum apta, atque emendata" Erasmo praestare (*Schurzfleischiana*, [specimen I], ed. Irenaeus Sincerus, Vittembergae 1729, p. 29).

[529] eloquentiae praecepta tradidit in praefatione ad lectorem (Conradi Samuelis Schurzfleischii *Dissertationes academicae varii generis*, Vitembergae 1699, f. 8r - 15v).

[530] cfr. tamen: "La méthode dont il se servoit dans la composition de ses Ouvrages ne préviendra pas trop en leur faveur. Il n'y travailloit que le soir, et mettoit alors ce qu'il composoit sur un petit morceau de papier, qu'il envoyoit à l'Imprimeur à la mesure qu'il le travailloit. On prétend cependant que la bonté de sa mémoire faisoit qu'une manière si singulière ne préjudicioit en rien à l'ordre et à la suite de ses compositions." [Jean-Pierre Nicéron,] *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres*, Paris 1729, t. 1, p. 344.

[531] Conradi Samuelis Schurzfleischii *Dissertationes academicae varii generis*, Vitembergae 1699, p. 103 sq.

[532] ib. p. 145.

[533] ib. p. 131 sq.

[534] ib. p. 125 sqq.

quam magnifice in exordio orationis "*Contra vociferationes nocturnas*"[535] sese infert! quos cothurnos in taberna assumit!: "Qui ferarum in modum per regiones huius urbis cursitant, et vociferando puram castamque mentem ac linguam polluunt, atque adeo in petulantem declamando morem, et turpe convitiandi facinus conspirant, ii revera improbi et crudeles sunt, ac non modo nihil liberali homine dignum agunt, sed sceleratos quoque ac praefractos gigantes imitantur." – hoc erat dicere pueros per noctem in viis clamitare. sed vide quam deinde insignite miseros istos feriat: – "Igitur tandem ira Dei eos deterreat, si nostra indignatio non sufficit, ut experiendo cognoscant, quam miseri infelicesque sint, qui saepius moniti, neque saluti suae consulunt" – hoc nonne ridiculum, tamquam propter nugas has salutem aeternam amissuri sint – "neque legibus" – tamquam adolescentes in lubrico aetatis semper leges atque paragraphos cogitari deceat – "sed animo suo obsequuntur." – nonne frigent haec? et repetita nunc apponitur crambe: – "Equidem detestabilis et prope infanda res est, quod in hoc loco sapientissimorum hominum proiecti quidam iuvenes reperiantur, quos neque ratio, neque legum autoritas inflectere potest, ut honestos viros iniuriis lacessere desinant, partesque suas recto et constanti voluntatis iudicio" – et hoc rectum constantisque voluntatis iudicium in pueris admodum requirit! – " | teneant ac tueantur."[536] hactenus continuatam orationem reddidi. vide quid paullo post proferat de illiteratis istis pueris, qui scilicet "Andronicum obscoeni moris Caesarem secuti, qui, ut auctor Nicetas est, primus hoc sannae genus reperit, et pudentis pudicique hominis officium deseruit, ac fescennino carmine" – sophos, eruditionem hominis! – "et absurdis indecorisque gestibus et signis mores urbis corrupit, et nomen famamque sua ipsius licentia foedavit."

[535] argumentum est reprehensio iuvenum noctu per urbem vociferantium.
[536] ib. p. 138 sq.

– euge orator! nunc autem risum comprime. assurgit iam supra cothurnos et caelum ipsum petit: – "Est Numen," – hoc enim deerat – "quod omnia, quae in caligine ac tenebris fiunt, certa explorataque habet, et nutu providentiaque sua humanas res moderatur, et videt auditque omnia, quae facimus et loquimur, ac verbi etiam temere emissi meminit rationemque poscit, ac denique latebras quaerentibus praesidium eripit, ac profert in lucem, ut publica iudicii severitate confundantur." – huc, huc veni quisquis inani verborum strepitu delectaris, pulchras sitientibus auribus escas invenies. et quid porro? – "Itaque pro eo ac decet graviter volumus ac sancimus, ut omnes quotquot in pessima hac vociferandi pariter atque criminandi licentia teterrimaque" – o crimen capitale! – "consuetudine perstiterint, nomineque honestissimorum ordinum turpiter inclamato, alios seu vi, sive verbis | proterve lacessiverint, ac simul in hoc vitio deprehensi fuerint, societatis Academicae excidant, ac omni deinceps congressu nostro arceantur." – hominis vigilantiam! o magistratum sanctissime gestum! – "Quamobrem hortamus vos, cives optimi, ut profanos vociferantium errores, et profligatos ineptientis turbae mores, iuxtaque poenas a Deo et potentissimo PR[incipe] EL[ectore] constitutas summo et constanti studio evitetis, et probi compositique colatis inter vos ac diligatis, remque inprimis divinam hoc difficili tempore" – nonne sordet *hoc difficile tempus*, in dieser schwierigen Zeit? – "multum diligenterque faciatis, ut quemadmodum hactenus procul malis et moribus ad invidiam usque stetimus ac floruimus, ita in posterum hoc tam eleganti et securo literarum otio perfruamur. P[ublice] P[ronuntiatum] Festo Visitationes Mariae MDCLXXXXI."[537] in tam sublimes cogitationes demersus erat vir ille gravis atque civis optimus die Visitationis. nimirum oratio ista non de pueris sed a puero scripta videtur. quanto melius eodem temporis tractu indolem puerilis aetatis perspexit Ioannes Amos Comenius, cum dignitate semper placidus et

[537] ib. p. 139 sq.

sermone purus, nisi quod Vulgatam redolet[538]; aut quanto in simili

[538] hic afferam quaedam annotandi atque excerpendi praecepta hodie quoque utilissima (expertus dico) quae divino ore fudit Comenius in oratione *De primario Ingenia colendi instrumento, solerter versando, Libris*: "Ceterum non sufficit Libros legere, attente legendi sunt: eo fine, ut notabilissima annotentur et enotentur <···> Hic unus solidus Lectionis fructus est, ut quae quis legerit sua faciat, excerpendo. <···> Haec nempe est via, per quam multi ad miraculum docti Viri eo pervenerunt, quo eos pervenisse stupescunt, qui per quae compendia istuc eatur ignorant. De Plinio scriptum est: "Nullum unquam Librum vidit, quem non legerit; nihil cognitu dignum legit, quod non excerpserit; nihil excerpsit, quod non rursum in litteras (i. Libros suos) retulerit." Et Gellius de seipso: "Ut Librum quenque in manum ceperam, seu Graecum seu Latinum, promiscue annotabam". Lipsius vero: "Non colligo, sed seligo": non temere se exscribere, sed cum judicio innuens, exscribere tamen non negans. Hinc | de alio alius: "Sua Lipsius loquitur, sed magnam partem ore non suo". *Quid autem seligendum aut excerpendum est?* inquies. Resp. Hoc non magnae quaestionis fuerit. Scribe quiquid invenies tibi novum, eatenus ignotum; et judicas esse pulchrum [locum, mea sententia egregium, linea conspicuum reddidi – O. N.], tibi aliquando usui futurum: sive sit Verbum, sive Phrasis, sive Sententia, sive Historia, et quidvis quod gemmulae instar nitere conspicis. Quidam tanquam ea quae sui studii sunt (ex. gr. Theologici) circumspectant, taliaque tantum exscribunt, caeteris neglectis, eoque integros etiam pulcherrimos Libros, qui nihil ad farinam suam conferre putantur, seponunt. Nos autem quia universalia commendamus studia, ex omni Libro, quem quis in manum sumit, omnia memorabilia seligi et colligi suademus. *Quomodo* autem, quaeret quis? Varia sunt variorum consilia, qua forma Excerptorum Libelli adornandi sint; quae recensere quia longum foret, tantum quid praxi mihi probatum sit dicam. Simplicissima ratio est, Diariis uti: Libro scil. in quo continue scribas, quicquid elegans ulla die legeris, audiveris, videris, aut tibi forte ipsi pulchre veniat in mentem. Ita quantum quotidie proficias, Diarium tuum revidendo videbis, et delectaberis. Sed memento, Diarium hoc instrui oportere Indice alphabetico: qui tibi necessaria requirenti, ubi consignatum stet unum quodque, indicet, eoque inventioni promtae serviat. <···> Si tamen omnino Repertorio non indigere, Opesque tuas nihilominus in numerato habere velis, confice tibi Pandectas, seu Digesta: ubi ordine aliquo certo, et immobili, Tibique noto, tituli Rerum omnium exstent, ad quos, tam Voces quam Phrases, et Sententiolas, et Historias, et quicquid denique obveniet, referre scias. <···> Ad Usus venio, quos annis aliquot exantlatus in Authoribus legendis et emendandis Labor secum vehet. Primus erit, Mentis circa res splendidum lumen: non demum quando aliquid cogitandum, loquendum, agendum erit, hic aut ibi quaerendum vel accendendum, sed paratum jam, et Te, quoquo Te vertas, comitans: quod permagnum est. Deinde, eris dives propriis Tuis, legitimeque partis divitiis <···>

argumento humanior lepidiorque Octavius Ferrarius[539]! heus, quid taces?

M. – tacitus admirabar eloquentiam hominis, serio dico. nam quod tu verborum strepitum dicis, sincera hic mihi eloquentia videtur.

S. – itane vero? non multum mihi in huiuscemodi scriptis versatus videris, qui hominem admireris tam facundum et elegantem ut Musae ipsae nares ei emunxisse videantur[540]; alioqui fortasse in meam sententiam pedibus ires. sed ignoscendum erat Schurzfleischio, cum non multo melius in simili re Buchnerus[541] locutus esset, qui tunc in eloquentiae luminaribus censebatur. is saltem non "hoc difficile tempus" dicit, sed: "Hoc praecipue tempore, quo tot crudeles alias et supra omnes Tragoediarum atrocitates horrendi passim luduntur ludi. Quos quum ita spectemus hactenus, ut metuamus assidue, ne ipsi protrahamur in scenam, et nobis nunc imponantur, quas alii

Tertio, habebis thesauros Tuos in potestate tua; eosque Tibi utiliores, quam centum aliena "Florilegia", seu "Polyanthea", aut "Loci communes", vel "Thesauri" etc. esse possunt. Nam quae non fecimus ipsi, vix nostra puto. <·· | ··> Quartus fructus erit, quod hoc opulenter congesto Excerptorum thesauro Tuo, rem incredibilem obtinere poteris: ut vel sexcentos Authores uno die percurrere, et in dubiis consulere (tot nempe quot legisti et emedullasti) possis; ut quasi nihil noxie ignores; ut viva et obambulans Bibliotheca dici queas; ut omniscius videaris, oraculi instar (apud imperitos hujus arcani) habendus. Nec ut videaris solum: ut sis vere." J. A. Comenii *Opera didactica omnia*, Amsterdami 1657, pars 3, col. 108 - 110).

[539] cfr. "<···> nostri [sc. iuvenes] non vigilant modo, sed horrendo tumultu alios ingratiis vigilare compellunt, et fortasse verentur, ne professores altius stertant, minusque mature expergiscantur, ut praelectiones suas antelucano meditentur. *etc.*" Octavii Ferrarii *Opera varia*, Wolfenbuttelii 1711, p. 119.

[540] de inepta hac locutione cfr. F. A. Wolf, *Litterarische Analekten*, Berlin 1817, vol. 2, p. 488.

[541] August Buchner 1591 - 1661, "dessen gezierter und schwülstiger lateinischer Stil von seinen Zeitgenossen vielfach bewundert wurde." C. Bursian, *Geschichte der classischen Philologie*, München - Leipzig, vol. 1, p. 298. ineptus est Heineccius: "Buchneriana oratione nihil potest esse splendidius, nihil uberius, nihil gravius." Io. Gottl. Heineccii *Fundamenta stili cultioris*, Lipsiae 1766, p. 352.

sustinuerunt hactenus, lugendi et ejulandi partes; ante omnia sanctae et emendatae vitae statuendum est."[542]

ceteri eiusdem temporis Germani plerumque nihil bonae frugis tulerunt. Carpzovii[543] latinitas laudatur a Menagio[544], teste tamen hac in re dubio, ut qui ipse eo nomine non magnopere sit laudandus[545], ceterum homo amabilis. Iustus Böhmer[546] probabilis etiam orator extitit[547].

542 "*Interdictum de Bacchanalibus*" in: Augusti Buchneri *Dissertationes academicae,* Francofurti et Lipsiae 1679, p. 61. cfr. "*Contra grassatores nocturnos*" ib. p. 58; "*Contra nocturnas vociferationes quorundam*" ib. p. 92.

543 Friedrich Benedict Carpzov 1649 - 1699.

544 *Menagiana,* Paris 1729, t. 1, p. 309.

545 neque aliter ipse de se iudicabat, cfr. "Je n'ai rien mieux écrit en Latin, que la vie de mon père [vide: *Vita Petri Aerodii Quaestoris Regii Andegavensis et Guillelmi Menagii Advocati Regii Andegavensis,* Parisiis 1675]. J'ai lu pour cela la vie d'Atticus écrite par Cornelius Nepos: mais je ne fais que des thèmes. Casaubon écrivoit de source, et M. Huet en toujours fait de même." ib. t. 2, p. 153. non sine aliquo fructu legenda sunt *Vita Guillelmi Menagii* (quam diximus), *Vita Matthaei Menagii, primi Canonici Theologi Andegavensis.* Parisiis 1674, et *Miscellanea,* Parisiis 1652 ubi prae ceteris *Gargilii Macronis Parasito-Sophistae Metamorphosis, et vita Gargilii Mamurrae Parasito-Paedagogi* lectu digna.

546 Iustus Christoph Böhmer 1660 - 1732.

547 cfr. e. g.: "Confidenter dixerim, nullam gentem altercationibus magis esse deditam, quam hanc, quae politiorum et elegantiorum litterarum nomine censeri cupit. Si voce, Tullii aevo insolita, forte utatur, qui eadem | cum ipsis profitetur studia, si Gallorum aut Italorum cultissimis scriptis se delectari ostendat, conclamata omnia dicent, et summa imis misceri, qui se solos saeculi sui Cicerones aut Plinios esse, se solos pure et emendate scribere, et sollicite admodum fugere peregrinitatem, quae novas voces et Latio indignas loquendi formas inducit, arbitrantur. Quotusquisque est inter eos, qui latine docti volunt haberi, qui alium laudet aut commendet ob dictionis elegantiam et venustatem: vel non satis latine alium loqui dicet, vel non satis eloquenter, aut aequabile orationis genus alteri deesse: fortassis sordidae et inquinatae dictionis alter arguetur." *Prolusio III. De bellis litterariis*: Iusti Christoph. Böhmer *Prolusiones VII,* Helmstadii 1707, p. 18 sq. "Sane speciem praefert prudentiae, quod omissis exercitationibus Latinis, Teutonicae eloquentiae studium quidam tam acriter urgent, iidem adhuc plenius existimationi suae consulerent, si nihil umquam Latine a se conscriptum ederent, ne, dum ab aliis seorsim ire cupiunt, et docere quiddam magnificentius, deridendos se praebeant rerum intelligentibus, quoties inornato inquinatoque sermonis Latini genere utuntur. Teutonicae linguae cultum vehementer probo, et, si id addi fas est, pro tenui parte mea annitor, ut quotannis

Ioannem quidem Burchardum Menckenium[548] oratorem levem ac sine medulla ventosum, cuius (quod mireris) de gente vir gravissimus Bismarckius Germaniae cancellarius prodiit, sine grata mentione transmisissem (neque enim *De charlataneria eruditorum* libellos atque *Orationes academicas*[549] tanti facio, ut propter sermonis gratiam

vernaculae eloquentiae specimina publica a florentissimis iuvenibus in coetu aequalium, et consessu gravissimorum virorum apud nos edantur: utinam multi popularium nostrorum, quantum operae ad discendas linguas exteras conferunt, tantum temporis tribuerent patriae linguae cognoscendae ornandaeque, quae nulli cedit, sive vim et praestantiam verborum, sive sententiarum argutias et aculeos, sive denique elegans et urbanum dicendi genus spectes: proscribere tamen Latinas litteras atque eliminare, inhumanum foret atque agreste." id. *Programma quo ad orationem De cognatione artium* <···>, Helmstadii 1709, f. 4r.

548 Johann Burkhard Mencke 1674 - 1732.

549 Ioannis Burchardi Menckenii *Orationes academicae, maximam partem literariae.* Edidit, et praefatus est Fridericus Otto Menckenius, Io. Burch. fil., Lipsiae 1734. cfr. prooemium orationis (a. 1724 habitae) quae est *De praecipuis rei literariae hoc tempore impedimentis*: "Qui literarum hoc tempore statum atque conditionem obiter tantum ac perfunctorie intuentur, miris modis extollere solent illarum decus, nec addi quidquam ad incrementum posse, temere iudicant. Enimvero, si quid ipse video, tetra, horrida omnia, foeda, spurca, in literis sunt. Iam iamque barbaries et tenebrae imminent, et tantum non incumbunt, non Saxoniae, non Germaniae, sed Europae universae. Dicitis: nonne florent literarum sedes, Academiae? Nonne crescit in dies discentium aeque, ac docentium, numerus? Nonne tot libri, quot fungi, uno die nascuntur? At solidam doctrinam, pulcerrimas artes, amisimus; discimus, quae dedi|dicisse praestaret, inania quippe, et parum fructuosa, scribimus inepta, ridicula, nemini profutura, non, ut famam aliquam et gloriam, quae, ut virtutis omnis, ita verae eruditionis, comes est, consequamur, verum ut famem, crudelissimum meliorum literarum hostem, exstinguamus. Excurrite paullum mecum, Auditores, in vicinam Galliam, quae, ut naturae bonis instructissima est, ita Musis hactenus sedes fere negavit. Graecae literae, quibus omnis conditur elegantia, vix apud Monachos quosdam Benedictinos receptaculum invenerunt. In Latinis vero literis quotusquisque nunc est in Gallia, qui non malit ridere cum Asino Apuleii, quam compte loqui cum Oratore Ciceronis, ut loquitur ex illa gente nonnemo ["Vid. Lalemantii Epistolam Maresianis praemissam" – adn. Menckenii]; plerique Romanam eloquentiam vix a limine salutant; qui prorsus assequatur, quantum ego sciam, nemo deprehenditur. Adspicite Italiam *etc.*" ib. p. 404 sq.

magnopere lectitandos putem[550]) nisi *Acta eruditorum* quae edenda curavit[551] ceteraque praeclara viri merita acriter mihi obstreperent. apud Helvetios Ioannes Alfonsus Turrettinus[552] morum integritate et subacto iudicio excellebat, laetae succinctaeque orationis cultor[553].

[550] sunt tamen quaedam iucunda lectu, cfr.: "Sed quam facile imponi sibi patiantur | hi omnis antiquitatis promi condi, testes nobis sunt, ut alios taceam, | omni exceptione majores, Athanasius Kircherus et Jacobus Gronovius. Erant Romae quidam adolescentes lasciviusculi, qui cum alicubi in urbe brevi excitandum aedificium intelexissent, ut Kircheri ingenium tentarent, eodem in loco clam defodi curabant scabrosum lapidem, quem miris nonnullis et ad libidinem excogitatis figuris deformaverant. Quid fit? jaciuntur fundamenta novi operis; tollitur lapis, novum vetustatis monumen|tum, ipsa sui integritate admirandum; quaeritur Oedipus; itur ad Kircherum. Is vero, viso lapide, tripudiare prae gaudio et pedibus terram pulsare, mox circulos, cruces et signa ad unum omnia tam concinne, tam apposite explicare, ut nihil supra. Quid Gronovius? Monstraverat illi Vir politissimus (quem vocat) Robertus de Neufville icunculam ligneam, metallifossoris Saxonici habitu indutam, quales vulgo pueri apud nos inter pupas et crepundia servant. Gronovius, qui nunquam homines metallobajulos et natipellitos viderat, *vetustissimi*, ut ipse loquitur, monumenti spectaculo admodum laetatus, *statim religiosam* in eo *memoriam renovari judicabat*, et cum *imagun|culam* suam bellissime caelari curasset, interpretabatur *Sacerdotem Germanum portantem navigium Isidis*. Risum teneatis amici." Jo. Burch. Menckenii *De charlataneria eruditorum declamationes duae*, editio tertia emendatior, Amstelodami 1716, p. 61 - 65. vide Appendicem V.

[551] cfr. R. Treitschke, *Burkhard Mencke, Professor der Geschichte zu Leipzig und Herausgeber der Acta Eruditorum*, Leipzig 1842.

[552] Jean Alphonse Turrettini 1671 - 1737.

[553] "Atque sic ad fatalem illum terminum tandem dilabitur Oratio, quo tam egregiae vitae, tam pretiosae filum abruptum est. O diem atro signandum lapillo! Diem quavis nocte tetriorem! quo venatione sese exercens, pro solatio et oblectatione, sibi interitum, nobis luctum peperit. Quippe affectum jampridem corpus, magis vero hoc casu concussum, violenta postmodum febris adorta est; Quae indies ardentior facta, omnemque fallens Medicorum industriam, intra quatriduum feralis evasit. Circumstantias, in vulgus notas, recensere nihil attinet. Hoc notandum, decumbente corpore, ob morbi inclementiam, quiescere mentem nunquam potuisse, quin semper de publica salute, incolumitate, defensione, consilia agitaret." Joh. Alphonsi Turrettini, *In obitum optimi, sapientissimi, ac fortissimi Principis Gulielmi III Magnae Britanniae Regis Oratio panegyrica*, Genevae 1702, p. 19.

Morhofium[554], Heineccium[555], Funccium[556] propter doctrinam admiror, sed eosdem oratores sperno; qui cum multa de eloquentia scriberent, ipsi ad eam exornandam nihil ferme attulerunt: tumidi sunt plerumque aut prave audaces, sordidi latinitatis auctores, elegantia nulla. et lepide Borussiae rex Fridericus eius nominis Secundus Heineccii aliorumque Germanorum ineptias risit, cum illud maxime ridiculum reminisceretur: "vestra maiestas splendet tamquam carbunculus in digito temporis nostri"[557].

M. – at idem Fridericus, amores tui, Rivarolii fatuum opus de lingua latina ex usu litteratorum removenda[558] laurea insignivit.

[554] Daniel Georg Morhof 1639 - 1690. de Morhofio nuper quaedam egit Gunter E. Grimm, *Literatur und Gelehrtentum in Deutschland. Untersuchungen zum Wandel ihres Verhältnisses vom Humanismus bis zur Frühaufklärung.* (Studien zur deutschen Literatur 75) Tübingen 1983, p. 303 - 312, et passim.

[555] Johann Gottlieb Heinecke 1681 - 1741.

[556] Johann Nicolaus Funck 1693 - 1777.

[557] "je me ressouviens dans ma jeunesse d'avoir lu, dans une épître dédicatoire d'un professeur Heineccius à une reine, ces belles paroles: "Ihre Majestät glänzen, wie ein Karfunkel am Finger der jetzigen Zeit" <···> Quand des professeurs s'expriment dans un style aussi bas que ridicule, à quoi faut-il s'attendre de leurs écoliers?" *Oeuvres de* Frédéric le Grand, Berlin 1847, vol. 6. p. 99 ("De la littérature Allemande"). de vitiis scriptorum Germanorum vide praeterea K. F. von Nägelsbach - I. Müller, *Lateinische Stilistik,* Nürnberg [9]1905, p. 12.

[558] Antoine de Rivarol, *Dissertation sur l'universalité de la langue françoise,* Berlin 1784. ne hominem nimis molestarem, operae pretium duxi ipsius sententiam proferre quo potissimum sensu latinam linguam *mortuam* appellaret: "L'histoire des Langues anciennes n'est pas complète, parce que nous n'avons jamais que la Langue écrite, et que la Langue parlée est toujours perdue pour nous: voilà pourquoi nous les appellons, *Langues mortes.* En effet, le Grec et le Latin ne nous offrent que des signes morts auxquel on ne pourroit redonner la vie, qu'en y attachant la prononciation qui les animoit autrefois, ce que est impossible; puisqu'il faudroit deviner les différentes valeurs que ces peuples donnoient à leurs lettres et à leurs syllabes." op. cit. p. 50.

de "lingua mortua" cfr.: "Chi pretende di riuscire eccellente poeta latino, essendo nato italiano, condannasi a comporre dentro un mausoleo, poiché scrive ai morti." Saverio Bettinelli [1718 - 1808], *Codice di nuove leggi del Parnaso italiano,* in: Nicola Flocchini, *Insegnare latino,* Firenze 1999, p. 27. cfr. praeterea: "Eravam centinaja compagni maestri, che ricevendo i fanciulli dai primi rudimenti

S. – quid postea? fuit Fridericus vir virtutibus militaribus nec non illis lenioribus ornatissimus et vel supra latinam eloquentiam. ceterum nuper legi ista, quae modo protuli, verba nequaquam Heineccii esse atque immerito eum a Friderico illusum[559]. sit sane. sed illud minime falsum, quod Ioannes Matthias Gesnerus, vir integerrimus et aequus elegantiarum arbiter, cum iterum Heineccii *Fundamenta stili cultioris* ederet, in ipsum operis indicem adnotabat: "in qua ipsa appellatione [i. e. *Fundamenta stili*] facile calumniandi occasionem arripere aliquis poterat, uti interrogaret, quaenam intelligi possint, *stili*, pennae, calami *fundamenta*"[560]; est enim *stili fundamenta* profecto res nihilo minus ridicula quam *digitum temporis*.

a' dodici o dieci anni d'età guidavànli ai quindici o diciasette sino a gustar non che intendere i clas|sici antichi in verso e in prosa, in latino e in volgare, e per via di spiegazioni e di traduzioni più che di composizioni specialmente latine ben conoscendo pochissimi esser atti o destinati a divenire scrittori di lingue morte." Saverio Bettinelli, *Prefazione al Saggio sull'Eloquenza*, in: *Opere edite ed inedite* in prosa ed in versi dell'abate Saverio Bettinelli ..., Venezia 1801, t. 23, p. 25. sed iam pridem Heineccius (sub lemmate: "Latina lingua inter demortuas referenda"): "Latina lingua iamdudum inter mortales conticuit. In Latio enim ipso, ubi olim quam maxime floruit, sensim ita barbarorum commercio coepit inquinari, ut demum nova inde enata sit dialectus, quam Italicam dici moris est." Io. Gottl. Heineccii *Fundamenta stili cultioris omnibus* Io. Matthiae Gesneri *animadversionibus, emendationibus, additamentis et praefatione locupletata accuravit, digessit, suasque observationes hac editione auctas adiecit* Io. Nicolaus Niclas, Lipsiae 1766, p. 399.

559 cfr. "Die Stelle, die dem König hier vorschwebte, schreibt er mit Unrecht dem Heineccius zu, obgleich schon Herzberg ihn rechtzeitig auf seinen Irrtum aufmerksam machte. Sein Gedächtnis vermengte die Anreden "Höchststrahlender Karfunkel an der Stirne der Tugend" und "Großer Diamant an dem Finger der jetziger Zeit" aus der Widmung einer Reisebeschreibung, die Adam Ebert in Frankfurt a. O. 1723 unter dem Namen Aulus Apronius herausgegeben hatte. Die erste Bezeichnung galt der Königin Sophie Dorothea, der Mutter Friedrichs, die andere seinem Vater. Dem Professor Ebert hatte, wie Hertzberg am 12.11.1780 an Friedrich schreibt, das Lesen der spanischen Romane den Kopf verdreht." H. Simon, *Über die deutsche Literatur. Von Friedrich dem Großen*, Leipzig 1886, p. 30.

560 Io. Gottl. Heineccii *Fundamenta stili cultioris omnibus* Io. Matthiae Gesneri *animadversionibus, emendationibus, additamentis et praefatione locupletata accuravit, digessit, suasque observationes hac editione auctas adiecit*

Ioannes Georgius Walchius[561] in praeceptis valet. et grato animo fateor me multum ex scriptis eius didicisse, in quibus auri pondo aestimo *Historiam criticam latinae linguae*[562]: doctrinam viri admiror, eloquentiam vero saepe requiro. quid vero in Ioanne Nicolao Funccio praeter exercitam industriam laudem, nihil habeo. Ioannes Michael Heusinger[563] paedagogus fuit optimus, criticus mediocris, miser orator. Bergerus[564], professor Wittenbergensis olim celeberrimus, dum aliis eloquentiae praecepta tradit, ipse infans atque ne mediocriter quidem eloquens extitit, tam exsanguis ac ieiunus, ut ipsis auditoriorum subselliis durior aridiorque videretur.

atque ne in sordibus diutius volutarer, ad litterarum sospitatores - Ioannem Matthiam Gesnerum[565] dico et Ioannem Augustum

Io. Nicolaus Niclas, Lipsiae 1766, f. 5r. credo equidem Heineccium, quia iureconsultus fuit, frequenti apud iureconsultos *fundamenti* vocabulo usum fuisse (cfr. e. g. Gotthelf Ehrenreich Becker, *De fundamentis patrii iuris*, Lipsiae 1686).

561 Johann Georg Walch 1693 - 1775.

562 Lipsiae ³1761.

563 Johann Michael Heusinger 1690 - 1751.

564 Johann Wilhelm von Berger 1672 - 1751.

565 Johann Mathias Gesner 1691 - 1761. ut statim nobilissimam Gesneri mentem lectoribus ostendam: "Saepe observavi ego, homines in lectione Ciceronis non perfunctorie versatos, verborumque illius et formularum facultatem sat luculentam consecutos, in hoc labi, et deridendos se dare egregie, quod parum aetatem nostram cogitarent, parum ad rei vel publicae, vel privatae, ad locorum homi|num, temporum rationes orationem suam accomodarent, qui promitterent, ut hoc utar, cum ipsi Magistri recentes philosophiae, aut S. Theologiae, vel utriusque iuris candidati essent, viris ad clavum reipublicae, vel ad latus principum sedentibus, *se sibi perpetuam pro illorum ornamentis propugnationem desumsisse, se illorum dignitatis defensionem non omissuros, etiamsi inimicos sibi sciant capiundos omnes homines*, et in eo genere plurima. Itaque operae pretium esse videtur, ut etiam orationes et stili caussa legantur recentiorum hominum libelli, qui cum puritati antiquae studeant, tum rebus et hominibus nostris suum quoque colorem tribuant, meminerintque, se non in urbe rerum domina, non libera republica, non Senatores Senatoribus ut hoc utar, scribere; sed sapientiam illam Romanam, | spiritum illum altum, orationem illam venustatis et maiestatis capacem, prudenter ad nostra tempora accomodare debere. Hoc ut facerem, studiose diligenterque operam me dedisse, equidem mihi conscius sum." Io. Matthiae Gesneri *Opuscula minora argumenti varii*, Vratislaviae 1743, t. 1, p. V - VII.

Ernestum[566] – properare iam dudum animus gestiebat. Gesnerus mihi primas Ernestus secundas eloquentiae ferat. magnus ille vir fuit, magnae eruditionis, magni tamen iudicii, maxime vero copia accuratae doctrinae valebat; hic vero eloquio animoque Gesnero similis, sed in utroque inferior, licet et ipse animum ad laetam quandam severitatem exercuerit et in orationibus latius Gesnero excurrat; curiosa tamen argumentorum varietate feracior Gesnerus videtur, ut paucos dissertationum titulos proferam: "*Socrates sanctus paederasta. Accedit corollarium de antiqua asinorum honestate*[567]", "*De venusta humanitate caput aperiendi*"[568], "*De terriculis puerorum*"[569]. sed longe ceteris praestat *Isagoges*[570] opus utilissimum. Ernesti animus quidem non fervidus, Bentleio quem ipse admirabatur, contrarius, nulla felicitate in coniecturis, sed fundata doctrina, ingenium – quamquam nullis excerptis usus[571] – multa

[566] Johann August Ernesti 1707 - 1781. scribendum duxi *Ernestum*, et non *Ernestium*. de forma nominis docet Wolfius: "Displicuisse ipsi formam priorem [i. e. Ernestii], ex qua periculum esset, ne confunderetur cum professore quodam Lipsiensi paene aequali Jo. Henr. Ernestio." F. A. Wolf *Litterarische Analekten*, Berlin 1817, vol. 2, p. 281.

[567] in: *Commentarii societatis regiae*, Gottingae 1752, t. 2, p. 1 sqq.

[568] Lipsiae 1733; extant plures id genus Gesneri commentationes, ut "*De venusta humanitate decedendi via et equo descendendi commentatio*" Lipsiae 1733, "*De venusta humanitate ΤΗΣ ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΕΩΣ in quantum corpus inclinat et manus movet dissertatiuncula*" Lipsiae 1734.

[569] Gottingae 1745.

[570] Io. Matthi. Gesneri *Primae lineae isagoges in eruditionem universalem nominatim philologiam, historiam et philosophiam in usum praelectionum ductae. Accedunt nunc praelectiones ipsae ad commentarios auctoris recensitae et auctae per* Io. Nicolaum Niclas, Lipsiae ^{2}1784, 2 voll. hunc librum magnopere commendabat Samuel Parr: "If any nooks be open fill them up with Gesner's Isagoge: it is a most useful book to readers of every age, and scholars of every size." The Works of Samuel Parr. By John Johnstone, London 1828, vol. 7, p. 423.

[571] "Nimirum interpretatio est res non modo subtilitatis, sed etiam testimonii, et omnis iudicandi subtilitas vana est et fluctuat, nisi tamquam fundamento nitatur copia doctrinae eaque praesente et parata <···>. an Gesnerus et Ernestus antiquos scriptores non assidue legebant? Vero assidue legebant; sed parum annotabant, forte aliarum occupationum multitudine impediti; et ad plerasque etiam scriptorum editiones faciendas subito et imparati accedebant." *Vita Davidis Ruhnkenii auctore* Daniele Wyttenbachio, Lugduni Batavorum 1799, p. 39.

lectione subactum, aptus exquisitae doctrinae praecipiendae[572], orationis vis sedata, sed verae elegantiae expers ut in homine theologo; gratam orationis neglegentiam aliquando sectatus[573], sed non assecutus. elegans tamen vestitus, quae laus, ut in professore Theodisco, hodie quoque non vulgaris est. animo vigilanti usque ad septuagesimum aetatis annum[574] fuisse traditur, quod quidem miraculo non habuerim qui dum viverem, usque ad nonagesimum octavum annum octo cottidie horas studiis impendebam. non eodem semper dicendi genere utebatur; nam primi quos iuvenis conscripserat libri, pura dictione quam postea affectabat caruere. praestantissimum Ernesti opus inscribitur *Initia doctrinae solidioris*[575], ubi primum Wolfianam

[572] cfr. "Je lui ai souvent entendu parler de la profonde impression que lui [sc. Melchiori Grimm] fit le point de vue sous lequel ce savant instituteur [sc. Ernestus] avait pris à | tâche de présenter à ses élèves, et l'intention générale du meilleur des traités de morale pratique [Ciceronis *De officiis*], et les détailes où cette intention se trouve développée de la manière la plus lumineuse et la plus instructive, à l'usage des bons esprits de tous les siècles, mais très-spécialement à l'usage de la jeunesse romaine, appelée par les circonstances à l'exercice du premier emplois de la république. Il semble que les idées puisées alors par le jeune Grimm, et dans cet immortel ouvrage, et dans les commentaires qui lui avaient si bien fait saisir l'esprit, ont eu la plus grande influence, et sur ses principes, et sur la conduite de toute sa vie dans le monde." J.-H. Meister, *Le baron de Grimm*, in: *Correspondance littéraire* <···>, ed. M. Tourneux, Paris 1877, vol. 1, p. 3 sq.

[573] cfr. opusculum "*De grata negligentia orationis*" in: Jo. Aug. Ernesti *Opuscula philologica critica*, Lugduni Batavorum 1764, p. 126 - 134; cfr. Io. Aug. Ernesti, *Opuscula varii argumenti*, Lipsiae 1794, p. 44.

[574] "Bis ins 70te Jahr merkte man wenig Abnahme der Seelen und Körpers Kräfte. Von der Zeit an nahmen die Kräfte sehr | stark ab, daß er immer unthätiger wurde." *Memoria I. A. Ernesti* in: Gottlieb Christoph Harles, *Kritische Nachrichten*, Nürnberg 1782, p. 73 sq. cfr. "Elogium Io. Aug. Ernesti publice scriptum ab Aug. Guil. Ernesti" in Io. Aug. Ernesti *Opusculorum oratoriorum novum volumen*, Lipsiae 1791, p. 257; 270. cfr. praeterea: "Denn seit langem erlaubt mir meine Organisation nicht mehr ein anhaltendes Studieren, wie es viele Gelehrte betrieben, ein *Ernesti* z. B., der noch in seinen Siebzigern von der Mahlzeit an den Schreibtisch ging" Fr. Aug. Wolf, *Kleine Schriften*, hrsg. G. Bernhardy, Halle 1869, vol. 2, p. 1020.

[575] prim. ed. Lipsiae 1736.

barbariem exuit. in orationibus prooemiatur apte ubertimque, nihil ab re alienum arcessens[576], narrat diligenter, in digressionibus semper utilitatem audientium spectat, minus felix in perorationibus. inest ei siccitas quaedam, quae formulae Wolfianae philosophos redolet. in delectu verborum est quod reprehendas; quin et ipsa "solidior doctrina" latine non sonat[577]. iucunda lectu est vita Jo. Matthiae Gesneri ab eo composita[578], quod opus vel omnibus eius libellis praefero; in quo genere litterarum meo quidem iudicio longe iucundissimus extat liber Wyttenbachii de vita Ruhnkenii[579], neque quidquam felicius de calamo Wyttenbachii umquam fluxit. equidem non abnuo, cum puer in quasdam Ernesti orationes incidissem, eas potissimum mihi duces fuisse, quae (postquam a Petrarca saucius romani eloquii amore discesseram) ad doctrinae studium me inflammarent.

apud nostros eodem temporis tractu Michael Lomonosovius[580] vir magnus atque ingeniosus extitit, qui impetu atque maiestate Germanorum nemini cedit[581]. non defuit ei succus et sanguis neque

[576] cfr. e. g. *Memoria Christiani Furchtegott Gellerti* in *Elogiis* virorum in doctrinis illustrium (Io. Aug. Ernesti *Opusculorum oratoriorum novum volumen,* Lipsiae 1791, p. 134 sq.)

[577] J. Ph. Krebs, J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache,* Basel 1905, vol. 2, p. 584.

[578] *Narratio de Jo. Matthia Gesnero ad Davidem Ruhnkenium* in: Jo. Aug. Ernesti, *Opuscula oratoria,* Lugduni Batavorum 1767, p. 465 - 500.

[579] *Vita Davidis Ruhnkenii auctore* Daniele Wyttenbachio, Lugduni Batavorum 1799.

[580] Michael Basilii f. Lomonosov 1711 - 1765.

[581] cfr., ut hoc eruditi ac luculenti *Panegyrici* loco utar: "Contremuerunt tum perfida Botnica littora, et ingruentes finibus nostris superbi hostes repentino terrore exanimati diffidere rebus suis coeperunt, et fugam potius maturare quam proelium committere cogitabant. Repraesentabant perterritae eorum mentes Petrum Magnum in fortissima filia redivivum. Oberrabat illis tristissima et sanguinolenta imago patrum, per Poltavae campos fusorum. Concipiebant animis gentis suae myriades super divisos infinita vastitate interiacentis soli campos duci captivas, flammis corripi urbes et agros, traiici siccum pariter ac freta triremibus, erumpere ex mediis maris fluctibus equites. Equidem profligati erant proelio hostes ad Willmanstrandiae muros; am-

animus omnia magna cogitans, defuit tamen ardens ille latinitatis amor sine quo friget omnis orationis sublimitas. sed quid queror? quotus enim quisque in prosa etiam oratione Horatianum illud assequitur: "non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto."[582] post Lomonosovium, primum se tollere ausa, concidit in Russia latina eloquentia, atque usque ad hunc diem turpi obruitur desidia.

omnino Russorum ingenia in rebus discendis ita sunt, ut semel firmiter arreptis doctrinae initiis, celeriter ad summam artis tendant. sed in eo studiorum genere desunt nobis homines eruditi, sin autem aliquando extiterint, adiuvante mirifica illa ingeniorum vena, etiam omnibus exteris erunt anteponendi.

Heynius[583] quanto vir inferior fuit Gesnero, cui in professoris munere publice Gottingae exercendo successit, quanto auctor delicatior magis quam cultior; in altero maius doctrinae studium, in altero elegantiarum. sed corruperunt Heynium aestheticae (sit venia verbo) nubes[584] et nimia Winckelmanni[585], hominis illitterati atque male ingeniosi (qua in re Ruhnkenio plane assentior[586]), admiratio; et qui recto iudicio uti posset, ingeniosam maluit adoptare barbariem. enimvero quem pestis illa aestheticae semel afflavit, nihil de eo

biguo tamen diu certatum est Marte, senserunt strenuae Russiaci militis manus obstantem pertinaciam cruentamque palmam obtinuerunt." *Panegyricus Elisabetae Augustae Russiarum Imperatrici patrio sermone dictus orante Michaele Lomonosow. Latine redditus eodem auctore* in: M. V. Lomonosov, *Polnoje sobranije sochinenij*, Moskva - Leningrad 1959, vol. 8, p. 263.

582 Hor. ars 99.

583 Christian Gottlob Heyne 1729 - 1812.

584 cfr. "L'esthétique ne repose sur rien de solide. C'est un château en l'air." A. France, *Oeuvres complètes*, Paris 1927, t. 9, p. 495.

585 Johann Joachim Winckelmann 1717 - 1768.

586 Ruhnkenius hanc Winckelmanno notam inussit in epistula ad Heynium die 12. m. Oct. a. 1767 data. "Sit ille, quam velit, idoneus judex signorum, tabularum, gemmarum. Graecarum quidem literarum scientia, quam tamen sibi assumere audet, in homine nulla est." D. Ruhnkenii *orationes, dissertationes et epistolae. Cum suis aliorumque adnotationibus edidit* Frid. Traug. Friedemann, Brunswigae 1828, p. 677.

speraveris, eloquentiam amplius ne requiras; etsi tamen homines usque ad hoc aevi in ea tamquam sues in luto libentissime volutantur. nunc vero et locus ipse postulat - licet adeo omnes fremant - ut immortale illud Ruhnkenii de aestheticae voce et re iudicium ex epistula ad Heynium data promam: "In praefatione ad Vergilium et alibi Tibi excidit vox *aesthetica*, quam belli homines, qui nunc in Germania bellas literas colunt, voluntate Graecis et Romanis, a quibus toto differunt coelo, similes videri, quam igitur illi minus belle finxerunt. Eam Graecam non esse hoc sensu, inde colligas, quod vir in Graecis literis primarius, Valckenarius, ex me, qui, ut Germanus, scire deberem, quid hoc vocis esset, quaesivit, et ubi dixissem, Germanorum ineptias risit."[587] anno 1772 haec scripta sunt. scias quo ex tempore disciplina ista perire coeperit. (Alexandrum autem Theophilum Baumgarten[588] ne in auctoribus quidem numero[589]. nefas est enim nomen eius eodem ductu proferre quo Ruhnkenios Gesnerosque. ei infelici partu nescio qui aesthetici libri[590] exciderunt, opus, omnium quidem qui Midae aures non habent iudicio, ridiculum,

[587] D. Ruhnkenii *orationes, dissertationes et epistolae. Cum suis aliorumque adnotationibus edidit* Frid. Traug. Friedemann, Brunswigae 1828, p. 689.

[588] Alexander Gottlieb Baumgarten 1714 - 1762.

[589] ecce tibi miseram hominis eloquentiam: "Habeat grauitas nationis germanicae per omnes gradus magnorum cum decore decurrens, quae regerat suam gracilitatem ultra modum efferentibus vicinis. Fuit inter eos, quo dicam homuncionem nomine? qui cruciatus hominis optimi maximi genus humanum infinitis malis eximentes ludicris illis nouorum gelasimorum versiculis proscinderet, et Christianus tamen in regno Christianismi videri vellet. Centum ciuibus ipsa Iustitia veniam potius daret in tenuibus peccandi | grauiter, quam huic vni in vna re, profecto, grauissima vile cogitandi genus leuissime adhibenti." *Aesthetica. Scripsit* Alexand. Gottlieb Baumgarten, Traiecti cis Viadrum, p. 258 sq.

[590] *Aesthetica*, Traiecti cis Viadrum, 2 voll. 1750 - 1758. cfr. Io. Matthi. Gesneri *Primae lineae isagoges in eruditionem universalem nominatim philologiam, historiam et philosophiam in usum praelectionum ductae. Accedunt nunc praelectiones ipsae ad commentarios auctoris recensitae et auctae per* Io. Nicolaum Niclas, Lipsiae ²1784, t. 1, p. 213 sq.; 240.

a quo tamen tota illa aestheticorum fatua atque ἄμουσος cohors originem duxit, quae hodie quoque bonas litteras infestat). ceterum in commentario Vergiliano se ipso altiorem praestitit Heynius et digna scripsit quae cum litterarum emolumento legantur.

Theophilus Christophorus Harles[591] plus virium habet; et curiosae neque protinus improbandae doctrinae sunt libelli "*De pedantismo philologico*"[592] et "*De galantismo aesthetico et philologico*"[593]. sermonis non nulla venustas, loquitur tamen interdum tamquam rabula forensis, et iudicium plerumque aliunde petit. ita est uti dico. sed et illud dicendum: iudicium homini sanum, et usque ad ravim bonarum partium causam agere; et est propter rerum quas tractavit copiam minime spernendus; utinam plus gravitatis haberet. tersior sed idem

591 Gottlieb Christoph Harles 1738 - 1815.

592 Theoph. Chr. Harles *Opuscula varii argumenti*, Halae 1773, p. 1 - 67.

593 ib. p. 68 - 96. cfr. e. g.: "Quid vero agunt quidam nostrorum philosophorum? Quomodo se gerunt? Ex cinere horridi olim et tristis philosophi exsurgit iuvenis | nitidus delicatulus, unguentum redolens et dulce ridens, qui nihil cernit, nihil cogitat, nihil loquitur, nisi quod sentit. Audiverat, Anglos quosdam ad sensum internum id, quod in philosophia verum esse debet, acute reducere: nunc, quamquam acumen Angli et subtilitas desit, totus est Hutchinsoniades. *Deos rogabis, / Totum ut te faciant, Fabulle, sensum.* Incedit novus noster philosophus aestheticus, more iuvenis venustuli Parisiensis, bene capillatus et crispatus, pileum sub bracchio tenens, terram vix pedibus tangit; fugit occulta et abstrusa philosophiae et philologiae adyta, in pratis et floribus tantummodo ambulaturus. Ridens circumspicit modo Gallum, modo Anglum, modo Italum, et horum sapientia ingenioque sublatus fugit terram et sidera petit. Universum philosophiae campum ludibundus pererrat, et modo hinc, modo illinc delibat particulam, atque in consessibus hominum otiosorum et lautissimarum feminarum videtur homo sapiens, qui de omnibus rebus belle et venuste disserere possit. At vero nec genus nec speciem cuiusque rei adcurate cernit, nec definiendo recte explicat, nec videt repugnantia, nec ambigua bene distinguit. Sine ullo naturali cogitationum ordine et serie nexum, quem sibi fingit, veritatum proponit, ita ut ubique incipere et desinere videatur. Sedulo tamen cavet, ne in societate hominum gravium, et doctrina adcurata promptaque florentium compareat, aut si adcidit, ut horum conventibus intersit, mutus sedet, ne ignorantiam prodat suam et infantiam. En *galantismum* (voci sit venia) huius hominis, qui vero eamdem virtutem in scriptis ostentat." p. 69 sq.

dilutior Ioannes Iacobus Hottinger[594], Helvetiorum non ultima laus; cuius tamen merita cum Harlesio non conferenda. bellus homo fuit ex eodem genere in quo Klotzius, sed honestior. dulci verborum strepitu aures personat, sed si propius accedas, quam nihil invenias[595]! idem theodisce scripsit multo melius[596]: est oblivione qua hodie obruitur minime dignus. Engelberti Klüpflei[597] virtutes in lingua latina strenue propugnanda eximia laude dignae sunt[598]; ipse in

[594] Johann Jakob Hottinger 1750 - 1819.

[595] cfr. e. g.: "Cum hesterna luce de istius praelusionis argumento meditabundus sederem, et altum noctis silentium, quod hominum atque animantium corpora placido sopore soluta ubique tenebat, et alta coeli regio stellarum candore micans, et constrata nive urbis tecta montesque suburbani, orbem jam magis magisque contrahentis lunae lumine sublustres, ejusdemque radiis fulgens clara lacus planities, animum meum sensim attollere, sensusque sublimiores in pectore ciere videbantur. Tunc ego scilicet praeteriti diei cursum revolvens, animo maximeque retractans ea, qae ex Hessii ac Breitingeri, clarissimorum virorum, ore audivissem, ab eorum, quae nunc in vicina Germania fieri solent, meditatione ad futuri temporis cogitationem deferebar. Igitur tristem litterarum faciem et aetatis nostrae in perniciem ruentis formam pensitans variis animum curis anxiisque sollicitudinibus distrahi sentiebam. Atque tum ego sic mecum: O deplorandam humanae sortis conditionem! Vixdum | Bodmerus, Breitingero suo comite fidens, ingratum Germaniae populum et sapere docuit, et eorum litteras ab exterarum gentium contemtu vindicavit, et ecce vir immortali laude celebrandus gloriae suae parentare jam cogitur. Non exspectant proterva puerorum turba, dum defuncti vita sanctos cineres polluant: vivi ora sordibus inquinant, et balbutientes convitiis proscindunt eum, sine quo litterae Germanicae non nominarentur." *Somnium dictum in examine autumnali anno MDCCLXXVI* in: Jo. Jac. Hottingeri *Opuscula oratoria*, Turici 1816, p. 363 sq.

[596] credo cum Sergius haec diceret, animo obversabatur liber cui titulus *Versuch einer Vergleichung der deutschen Dichter mit den Griechen und Römern*, Mannheim 1789.

[597] Johann Andreas Klüpfel 1733 - 1811.

[598] cfr. "Res meae cum non sint eo loco, ut, quod concinnavi, vulgare possim sumptibus meis, redemptore opus est, qui impensas ferat. Causantur, Latinum esse opus, Latina non legi, neque emi, tanquam merces | vitiatas. An mea legantur, nec ne, parum quidem mea refert, qui foetuum meorum non sum admirator, neque amator simiae in morem; tantum abest, ut de fune cogitem, etsi pepetuo premantur. At illud triste, evilescere generatim Latinae linguae usum, legi a paucis, a plurimis non intelligi Latine scripta. Quodsi eruditarum, ut vocari solent, linguarum cultura diligentior neglegentiorve lapis quasi Lydius est, unde dignoscas, quis sit bonarum artium et

orationibus dicendi genus latum laetumque coluit, vehementiore quidem impetu atque poetica sublimitate carens, sed commendat sese simplicitas atque animus verus[599].

scientiarum status, felicior infeliciorve: pessime sane nostris diebus agitur de re litteraria, meritoque verendum, ne in veterem barbariem relabamur. Quam ob rem miseret me saepe eorum, qui tempora nostra ab omnium | artium et scientiarum splendore summo, quem ingenti vocis animique contentione crepant, *aurea* vocant et *illuminata*, non intelligentes, gradu praecipiti et magnis passibus iri in Cimmerias tenebras. Sunt equidem e multis pauci, qui litterarum in deterius ruentium sortem miseram et agnoscant, et doleant. Neque desunt, qui Latinas Musas in gymnasia reducere adnitantur, velut scribis de Wirceburgensi antistite; at vehementer dubito de successu optato, si monitis solum, legibus aut decretis res agitur, nisi propositis etiam praemiis et honoribus meliora ingenia excitentur. Quotus enim quisque tam patiens, ut velit discere aut docere, quod non sit in honore? Potissimum difficilia si sunt quae traduntur. Difficilia autem, quae pulchra." Engelberti Klüpfel, Ord. S. August., Theologi Friburg. ad D. Michaelem Feder <···> *epistola de caussa dilatae editionis vitae Conradi Celtis Protucii*, Friburgi 1799, 4 maj. f. 1^{v} - 2^{r}.

599 cfr. "Nostis, quod in recenti versatur memoria omnium vestrum, quam voces inofficiosae, querulae, ne dicam seditiosae auditae ubivis fuerint, atque ab imperita multitudine sparsae, cum religiosissima Princeps nostra interpellato, ac annuente Pontifice re, ac nomine maximo Benedicto quarto decimo numerum festorum dierum, quibus | *Cereri, Bacchoque* litabat vulgus, plus aequo multiplicatum imminuit, ut civium saluti, egenorum inopiae, bonisque moribus melius prospiceretur. Non aliter actum, neque minor plurimorum expostulatio; dum theologica studia novam in formam redigi intellexerunt. Parum aberat, quod imperitorum zelotarum est, ut vociferarentur: Haeresis, haeresis! periclitatur fides! Conclamatum est de religione catholica! Et quo erant ineptiores, eo validius clamitabant. Dolebam saepius, atque commovebar animo, aut indignabar potius vehementer: cum viderem instituta optima tam indigne haberi. Erant, qui recens inductam theologicarum studiorum rationem damnarent, quod veteri vappae assueti, nihil pulchrum, nihil rectum, nihil, si Superis placet, eruditum putarent, nisi quod ipsi didicissent. Erant, qui ne apicem in sacris disciplinis mutari vellent, quo doceri aut discere meliora erubescerent, rati, decedere sibi, aut famae suae, quidquid melioribus litteris accederet. Erant, cum nihil aliud sibi propositum haberent, nisi decretis optimis adversari, atque utilissimis institutis reprehendendis suum adulescentibus ingenium venditare, qui adversandi studio longius provecti carperent sine ratione, quidquid non intelligerent. <·· | ··> Neque eas tantum ingenuas atque liberales disciplinas, quas severiores aut sublimiores dicimus, ornavit plurimum, suoque decori reddidit Imperatrix Maxima; verum etiam singulare impendit studium, serioque animi cogitationes eo intendit, ut, quae ab humanitate

sequens aetas Mansonem[600] tulit qui dum sensus illos "tranquillos, gratos, teneros"[601] sectatur, nihil – pace Francisci Passovii dicam – nisi ieiunam quandam ratiocinandi rationem assecutus est.

sibi nomen consciverunt, inferiorum litterarum studia diligentius colerentur, adiectis diversarum rerum in omni futura vita utilibus disciplinis. Quodsi nonnulla, quae multorum aperta est querimonia, votis, optatisque, ut oportet, non respondent: si nimio Theodiscae poeseos, et versiculorum levium amore lingua Latina evilescit: si redit vetus barbaries; tanti mali culpa Imperatricis non est; sed penes alios residet. Nobis namque clam non est, quam fuerit sollicita de reti|nendo, excolendoque sermone Latino, cum de emendandis humanioribus scholis ageretur." *Oratio in obitum Mariae Theresiae Romanorum Imperatricis* <···> dicta ab Engelberto Klupfel, Friburgi Brisgoviae 1781, p. 12 - 15. et: "Quis ex nobis in obitu Augustissimae animo vehementissime non commovetur, nostrisque rebus timeat, dum memoria repetit tot tamque illustria, atque singularia in hanc Academiam [Academiam Friburgensem dicit] Imperatricis merita, quae, ut vidistis, non praedicavi verbis, neque exaggeravi sermone; sed confuse, breviter atque inconcinne, quantum acerbissimi doloris vis permittebat, adumbravi. Matrem nostri amantissimam amisimus. Hominem lugere, humanum est; Matrem pium. Qui in maximi boni amissione non moeret, excors erit, aut stupidus. Non Tuis gaudiis invidemus, Imperatrix Optima! Ivisti ad laetiora, coelestibus inserta choris, vitae meliori renata, felicius regnum possides. Nos miseri sumus, nos infelices, Tuo praesidio iam destituti. Beneficia Tua grati agnoscimus, merita commendamus. Sed iacturam, quam passi sumus, querimur. Academiam orbam, | squalidam, deiectam, et quasi uno Tecum funere elatam lugemus. Tantae calamitati quis medebitur?" ib. p. 22 sq. et alio eloquentiae genere: "Si rogas, cuias fuerit Georg. Andr. Willius, Eous Francus, patria Michelbachensis, Norimbergensis quodam reipublicae pago. Si genus quaeris, honoratum est; nam patrem habuit pastorem animarum, matrem Annam Helenam, diaconi Norimbergensis ad S. Laurentium filiam; avos, proavosque plures, qui inde a ducentis annis doctrina clari variis in ditione Norica praefecturis functi sunt, muneribus honorificis. Nosse cupis studia litterarum, quae coluit? erat veri nominis polyhistor, et coluit omnis generis bonas artes; praestans ingenio acri et subtili, atque sedulitate incomparabili. Et quid tandem de moribus? Excelluit optimis." Engelberti Klüpfel Theologi Friburgensis *Necrologium sodalium et amicorum litterariorum qui auctore superstite diem suum obierunt*, Friburgi et Constantiae 1809, p. 202.

[600] Johann Caspar Friedrich Manso 1759 - 1826.

[601] vide *Narratio de Io. Casp. Frid. Mansone* in: F. Passovii *Opuscula academica*. Disposuit. Nic. Bachius, Lipsiae 1835, p. 379.

paene Christianum Adolphum[602] Klotzium[603] praeterii, de quo quid pronuntiem, haereo. erat homo acutus, sed nequam, ingenii nugatorie pugnacis, latine satis compte quidem scriptitabat, ceterum iuvenis adhuc morte abreptus, spem sui in incerto reliquit. meritis tamen Klotzii iuste adnumerentur editae ab eo epistulae Gesneri et Moshemii invicem datae[604], quibus otium terere non sine aliqua animi oblectatione solebam. cum Klotzio sit mihi Ioannes Iacobus Reiskius[605] ille, multum a Wilamowitzio laudibus iactatus, eadem sententia amplectendus.

M. – pro scelus! tune mihi audes Reiskium et Klotzium in eandem tabulam conferre? hic auctores primoribus tantum labris degustavit, ille indefesso labore quam multos feliciter emendavit, edidit, illustravit!

S. – sit mihi Reiskius quam velit acutus criticus, sed latina facundia – quam quidem laudem ille, quod sciam, ne ambivit quidem[606] –

[602] Adolphus scribi maluit, cum recta scriptura, ut in nomine non e Graeco sermone ducto, Adolfus esset, cfr. Caroli Egger, *Lexicon nominum virorum et mulierum*, Romae ²1963, p. 5.

[603] Christian Adolph Klotz 1738 - 1771.

[604] *Io. Laur. Moshemii atque Io. Matthiae Gesneri virorum clarissimorum epistolae amobaeae, edidit* Christ. Adolphus Klotzius, Lipsiae 1770.

[605] Johann Jacob Reiske 1716 - 1774.

[606] cfr. "Böse Exempel verführten mich zum Muretus, Buchner, Cunaeus, Cellarius. Die las ich fleißig, denn die konnte ich leichter verstehen. Das war ein Unheil für mich. Zwar hatte ich aus den neuern Latinisten eine so ziemliche Latinität geschöpft; daß ich fertig Latein reden und schreiben konnte; selbst so, daß Leute, die Kenner der guten Latinität waren, mein Latein für schön hielten. Aber die gute Latinität der alten echten Autoren habe ich erst im 40sten Jahre meines Lebens kennen gelernt; da es zu späte war, das verwahrloste einzubringen. Da fieng ich erst an, mit dem Cicero mich bekannt zu machen, aber es war zu späte, ihm Geschmack abzugewinnen.

Zwar darf man mir den Abstand meines Lateines im Schreiben, und meiner Kenntniß des alten guten Lateins, von dem Grade der Stärke, den unsere Schulleute gemeiniglich in diesem Stücke besitzen, eben nicht sagen. Aber so sehr ich das unlateinische, platte, kauderwelsche Deutschlatein unserer meisten Schulprogrammisten verachte, eben so sehr verdriest es | mich meiner selbst, wenn ich mein Latein gegen den Cicero halte. O wie lalle ich da, wie ein Kind!" Johann Jacob Reiskens *Von ihm selbst aufgesetzte Lebensbeschreibung*, Leipzig 1783, p. 7 sq. profecto maxima reverentia atque amor homini debetur qui talia de se fatetur. me certe verba haec movent, cum subeat animum Petrarcae dictum:

homini mediocris contigit. sed quid video? facies tua multo rubore suffunditur, scintillant oculi. dic, nisi molestum est, in quem tam acriter irascaris.

M. – ne roga, in te inquam! iam dudum indignans ausculto, nunc vero facere non possum quin quid sentiam, evomam. ad quam tu normam philologos vocas? nempe id mihi agere videris, ut summae doctrinae – quam solam ars philologiae pro fine habere debet – studium eloquentiae constanter praeferas. at merito Wilamowitzius Ruhnkenium tuum taxavit, ut cui scientia litterarum nihil aliud esset quam ars quaedam eleganter linguam latinam exercendi; ut verbis eius utar: " ... für die große geistige Bewegung in seinem Vaterlande ...

S. – nempe, cum *permagnum* istum in Germania *motum*[607] dicit, Winckelmannum et eiusdem furfuris bellos homines intellegit qui bellas litteras[608] exercebant. equidem cum *magnos* istos *motus* au-

se cum Cicerone tamquam infantem cum nutritore disertissimo balbutire (cfr. Petr. fam. 24, 12, 5).

607 "große geistige Bewegung".

608 pro commentario sit mihi Friderici Augusti Wolfii sententia: "Man hört vielmehr *Littérature* als *Belles lettres*. Wenn ihn aber manchmal ein Lateinisch schreibender Gelehrter nachgebraucht, vielleicht gar *litteras bellas* gesagt hat, so war Scherz offenbar die Absicht" Fr. Aug. Wolf, *Kleine Schriften*, hrsg. G. Bernhardy, Halle 1869, vol. II, p. 814. Amare sane Fridericus Nietzsche (qui hunc Wolfii locum ante oculos habuit) et altiora cogitans: "Was liegt für ein Hohn auf die "Humanitäts"-Studien darin, dass man sie auch belles lettres (bellas litteras) nannte!" *Sämtliche Werke*, München 1980, vol. 8, p 16. cfr. "Enimvero sensi, et sensere alii, multos coepisse ab aliquo tempore ex hac ratione [sc. interpretandi quae a Gesnero promota erat] decerpere, quod esset facilius, et magis sensu quam labore constaret, hoc est, quod ad pulcritudinem figurarum et sententiarum, utcunque intellectarum spectaret, ut in fabulis, maxime scenicis, carminibus aliis, itemque reliquis generibus ingeniosis scribendi: | has "bellas literas" vocari, novo more, et prope eo rem redigi, ut literae bellae, etiam "scientias pulcras" vernaculo sermone appellant, scenae maxime serviant, fabulisque scenicis iudicandis et scribendis, earumque arti, venustati vel sublimitati in sententiis intelligendae, et, ut loquuntur, gustandae: dum interea veteres illae literae bonae et humaniores, qua labore constant, et doctrinis literarum prosunt, vel negligantur penitus, vel tractentur remissius et negligentius. Quae ratio, mulierculis aptior quam viris, fortasse in

dio, horrore perfundor; et nostro saeculo novam große Bewegung[609] experti sumus.

M. – ... hatte Ruhnken nicht das geringste Verständnis. Was ihm Philologie war, zeigt am besten, daß er die Schriften des Murets herausgab. Musterhaftes Latein galt ihm soviel wie Wissenschaft."[610]

S. – ut in me excanduisti! ceterum mirum non est in Wilamowitzio, qui a teneris unguiculis petulcus in nobilissima quaeque ingenia esse consueverit, cum a Friderico Nietzsche, viro lectissimo, famosis libellis insectando studia sua gloriose sane inaugurasset, tam acriter ab eo Ruhnkenium oppugnari, miror potius mentem tuam subito occaecatam – nisi quod semper magnas mihi tragoedias excitare soles quotiescumque sermo nobis orditur de comparandis sinceris illis latinitatis auctoribus cum doctoribus aevi positivistici, – et nimirum visus es mihi eo potissimum consilio Wilamowitzii verbis usus esse, ut me barbarae linguae horrifico sono perturbares. nihil tamen egisti: usque non patiar discidium philologiae et eloquentiae. sed paulo videamus si possimus cornua Wilamowitzii tui commovere. tecum quidem lenius agam, et quoniam alienis armis dimicasti, testem ex inferis excitabo Wyttenbachium qui Wilamowitzium ineptiarum facile convincet: " ... in Ruhnkenio admirabilis erat quaedam ad omnem interpretationis virtutem indoles; non solum ut copiis ad confirmandum, subtilitate ad iudicandum, ingenio ad inveniendum, valeret, sed etiam ut collectum his facultatibus apparatum cum perspicuitate, ordine, ac delectu explicaret, et insigni prorsus et ad rem accommodata orationis elegantia ac venustate ornaret et quasi

earum gratiam instituta, ut in communionem literarum veniant et ipsae, ut ipsarum iudiciis ac laudibus floreant belli homines, haec igitur ratio si latius serpat ac diutius valeat, magnam calamitatem literis bonis afferet." Io. Aug. Ernesti in praefatione *Archaeologiae literariae*, Lipsiae 1768, p. xiv sq.

609 fascismum dicit.

610 Ulrich von Wilamowitz-Moellendorff, *Geschichte der Philologie*, Leipzig 1959 [prim. ed. 1921], p. 39.

laetificaret."[611] itaque non id agebat Ruhnkenius ut bene tantum latine scriberet, sed ut litterarum scientiam cum sermonis elegantia coniungeret, sine qua omnis litterarum scientia iacet et animum generosum explere nequit. quod autem ad Ruhnkenii propositum in Mureto edendo attinet, melius, credo, reum ipsum audire: "Mureti opera omnia ad fidem editionum Aldinarum recensere coepi, adspersis notulis, ubi Muretus, quamvis scriptor unus omnium tersissimus, a vera Latinitatis ratione aberasse videbatur. Hoc consilium natum est ex offensione, quam mihi novitiorum Criticorum infantia movit. Quibus si Mureti lectionem commendaro, id assequar fortasse, ut, jejunitate ista repudiata, de rebus Criticis paullo disertius elegantiusque loquantur."[612] haec utinam novelli isti, qui hodie sunt critici, exaudissent! nunc quoniam video simili calumnia Iacobum Bernays[613] grassari in Lipsium, ut iam tres illos romanae eloquentiae principes – Muretum, Lipsium, Ruhnkenium dico – uno quasi vinculo constringi a criticis aevi positivistici sentiam, hoc factum nonne luce clarius probat, bellum indictum non hominibus sed eloquentiae ipsi? et durat, mihi crede, durat hoc bellum usque ad hunc diem. sed, quod coeperam, contendo in rebus criticis neminem citra eloquentiae quae usu splendeat studium res ipsas recte perspicere posse. verum haec ita sunt, ut non disputentur. qui rem ita se habere negant, relinquendi sunt, non docendi. ceterum vita etiam sine humanitate atque litteris belle degi potest: nemo certe in hanc palaestram vi cogendus est.

611 *Vita Davidis Ruhnkenii auctore* Daniele Wyttenbachio, Lugduni Batavorum 1799, p. 56.

612 D. Ruhnkenii *orationes, dissertationes et epistolae. Cum suis aliorumque adnotationibus edidit* Frid. Traug. Friedemann, Brunswigae 1828, p. 699.

613 "In der That muss man gestehen, dass Lipsius, selbst wenn ihm, was er am Tacitus und Vellejus vollbracht hat, nach dem vollen, nicht hoch genug zu schätzenden Werthe angerechnet wird, doch im Ganzen genommen über die Manier der Italiener nicht hinaus gelangt ist." J. Bernays, *Joseph Justus Scaliger*, Berlin 1855, p. 50.

verum satis constare mihi videtur, non omnes recentiores lectitandos esse: optimus quisque in manus sumendus, ut si saec. XVII et XVIII respicias, Huetius, Gesnerus, Octavius Ferrarius, Baudius, Cunaeus legendi. his accedant minores ut Paulinus a S. Iosepho, Cordara, Vavassor, Poreus, Ernestus aliique non ita multi (nunc demum intellego plures me auctores adduxisse quam necesse fuit. oportuit tamen longius excurrere, quo certior fieret electio), quos superius laudavi. sed ab initio renascentium litterarum usque ad hanc nostram aetatem tres tantum supra omnes latinae eloquentiae principes novi, quorum cum admiratio maior sit quam ut censuram admittat summoque apud me unusquisque eorum in amore versetur, Ruhnkenius tamen mihi laetior amabiliorque, Lipsius plus virium, Muretus vero plus felicis illius copiae habere videtur.

Ruhnkenius novissime mortalibus ostensus est latinae eloquentiae exemplar. quid tonantius aut magis igneum oratione *De doctore umbratico*?[614] quid limatius sublimiusve *Elogio Tiberii Hemsterhusii*? etenim multi post Ruhnkenium loquentes, nulli extiterunt eloquentes et qui summi oratoris munera tuerentur. nam et Wyttenbachius ille

614 cfr. "Ex plena et perfecta earum artium, quas ante commemoravimus, scientia efflorescit et redundat Critice, antiquitatis omnis interpres et judex, veri obrussa, fraudum indagatrix, corruptelarum expultrix, quae nullis limitibus circumscripta, per oratores, poetas, philosophos, historicos late vagatur, et severam ingeniorum monumentorumque quasi censuram agit. Hujus artis facultate eos tantum, qui ingenio supra communem mensuram eminuerint, omnisque liberalis doctrinae pene infinitam vim animo comprehenderint, excelluisse scimus: qui quam pauci omni aetate fuerint, nemo ignorare potest, nisi qui literarum historiam ignoret. Sed hic in umbraticis doctoribus quid potius mirer, dubito, stultitiamne, an impudentiam? qui hanc divinam artem, quam ne attingere quidem debebant, sibi solis arrogant, hanc tamquam filiolam exosculantur, hujus denique facultate censeri volunt. Etenim ingenium ineptiis depravatum, tricasque eruditas potius, quam veram eruditionem, ad Criticen exercendam afferentes, variantium lectionum farragine congerenda, literarum apicibus ad superstitionem usque excutiendis, vocula mutanda, rancido quodam verbo e situ et squalore revocando, egregie, si Dis placet, se Criti|corum munere fungi credunt. Sic, dum, se veram putant Criticen tenere, quid aliud, quam vilissimum literarum

alumnus ex disciplina Ruhnkeniana, qui quidem multo plura quam Ruhnkenius latine scripsit, multum scribendo effecit ut languidius remissiusque scriberet. sed in Ruhnkenio erat cum summa humanitate mira coniuncta facundia, ut omnia venuste atque cum dignitate tractaret oratione non illa oppleta luminibus verborum sed interspersa, ubi clara Tulliani fluminis unda coloratas sententiarum gemmas gratissime interstreperet; oratio eius dulci lenocinio sensus honestissimos exprimit atque officia docet quae virum gravem et perfectum grammaticum deceant.

aucupium, tenent? Nulla autem in re tantopere sibi placent, quam in corrigendi dicam, an depravandi studio. Equidem commemorare possem, qui omnem aetatem in eo conterant, non ut sibi ex antiquis scriptoribus sapientiam, et bene dicendi intelligentiam ac facultatem comparent, vitamque ipsam elegantiorem reddant; qui unus est hujus studii fructus, liberali homine dignus: sed ut commissa a librariis peccata investigent, in iisque tollendis operam venditent suam." *Oratio de doctore umbratico, habita a. d. XXI Septembris ann. MDCCLXI, quum in Academia Lugduno-Batava ordinariam Historiarum et Eloquentiae professionem auspicaretur*, in: Davidis Ruhnkenii *Opuscula varii argumenti*, Lugduni Batavorum 1823, t. 1, p. 137 sq.

Oleg Nikitinski, nato a Mosca, ha studiato filologia classica, latino medievale, archeologia e storia antica nelle università di Mosca e Friburgo in Brisgovia.

Le sue pubblicazioni riguardano la letteratura latina, la poesia ellenistica, la storia della filologia.

Ora è docente di filologia classica nell'università Humboldt di Berlino.